IO. ANTONII VIPERANI,

De componenda oratione,

LIBRI III.

ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini,
Architypographi Regij.
M. D. LXXXI.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIS Priuilegio cautum eſt,ne quis citra Chriſtophori Plantini Architypographi Regij voluntatem *Io. Antonij Viperani opera*, intra octennium à die impreſſionis abſolutæ,imprimat, aut alibi impreſſa importet,venaliáue habeat intra omnes ditionis eius fines. qui ſecus faxit, pœna multabitur quæ expreſſa eſt in regio diplomate, dato Bruxellæ 20.Martij, M. D. LXXVI.

Sign.

Iac. Blyleuen.

GASPARI CHIROGÆ EPISCOPO CONCHENSI, REGIS PHILIPPI

à Consiliis, atque hæreticæ prauitatis in Hispania Inquisitori maximo,

IO. ANTONIVS VIPERANVS S.

SI, GASPAR CHIROGA, eruditi homines libros suos cùm in lucem edunt, alicuius excellenlentis viri tutelę cōmendant, vt eius dignitate à maleuolorũ iniuriis defendantur; & par equidem me est libros De cōponenda oratione, quos adolescentior scripsi, tibi dedicare optimo Patrono, tum bonis artibus perpolito, tũ in amplissimo dignitatis gradu locato, mihi etiã beneuolo: cuius patrocinio tutos nihil ex quoquã offensionis habituros existimo. Ac certum est illos in reprehẽsores multos incursuros, quòd de re agant à multis authoribus pertractata: in quibus si quod erratũ offenderint, facilè meũ nomen lædant; si quod bene dictum legerint, laudẽ aliis adscribant.

Nec profectò mihi sumo inuenisse mequidquam noui, aut melius & ornatius aliis explicasse: sed cùm magni rhetores sæpè inter se dissentiant, nec vniuersam dicendi rationem scriptis suis vnus aliquis cōplectatur; non inutilem studiosis adolescentibus fore laborem hunc nostrū putauimus, quo præcipua rhetoricæ artis pręcepta breuiter perstrinximus, & summorum authorum mentes pro nostro ingenio conciliauimus; sed vt aliis quoq. integrum sit in controuersis rebus iudicium suum interponere. Sic enim rebus obscuris à disputationibus lumē accedit. Docere autē institui qua ratione oratio, quæ Oratoris opus est, rectè cōficiatur. Ac primùm quidem materiam, ex qua fit; deinde partes, ex quibus componitur; postremò qualis in vno quoq. genere causarū effingatur ostēdam. Nam ceteri rhetorices magistri ad vnum iudiciale genus artem Oratoriam redegerunt: quod à veteribus magis vsurpatum nostris temporibus minus in vsu est. Te verò non dubito pro tua humanitate huic nostræ industriæ vigiliisque fauturum.

IO. AN-

IO. ANTONII VIPERANI,

DE COMPONENDA ORATIONE.

LIB. I.

Quid Oratio.

CAP. I.

ORATIO est omnis locutio; qua à bru-
tis animantibus præcipuè distamus. Offic. 1.
eius proprium munus est animi sensa
& cogitationes exprimere. Cicero ra-
tionem orationis duplicem fecit, alte-
ram sermonis, alteram contentionis.
Sermo est communis loquendi vsus, contentio maiorem
vim habet ad gloriam. Est enim ea, quam eloquentiam
nominamus. Et quanquam omnis locutio oratio est, ta- In Orat. ad Brutum.
men vnius oratoris locutio (inquit idem) hoc proprio si- De Orat. 1.
gnata nomine est. Orator autem is est, qui bene, hoc
est, compositè, ornatè, copiosè dicit: qui non ab inuen-
tione, aut dispositione, aut actione, sed ab elocutione no-
men accepit; quippe qua ceteris antecellit: diciturq́; à
Græcis ῥήτωρ, eloquēs à Latinis, ex quo Cicero Oratoris
orationem sæpè eloquentiam vocat. Quare philosopho-
rum locutionem quòd mollis sit, sine verborum & sen-
tentiarum structura, sine numeris & affectibus sermo-
nem potius dicendam putabimus, quàm orationem.
Atque vt in certo opere quisq; artem suam exercet, sic
Orator in componenda oratione versatur.

De Partibus Orationis.

CAP. II.

Lib. 3. cap. 5. & Cic. in Bruto.

De Orat. 3.

In Periher.

De historia Animalium lib. 1.

OMnis autem oratio constat ex his (ait Fabius Quinctilianus) quæ significantur, & his quæ significant, hoc est, rebus, & verbis. Sunt enim verba rerum notæ; quæ (vt dicam cum Cicerone) sedem habere non possunt, si rem subtraxeris; neq; res lumen, si verba semoueris. Rerum verò notiones, siue ideas, quas Aristoteles præter res & verba etiam in oratione considerat, possunt ad ea, quæ significantur, referri. Atq; vt animantium (sicut idem philosophus docet) partes quædam sunt ὁμοιομερεῖς generis eiusdem, quæ in sui similes partes secãtur, quales sunt, caro, os, nerui; quædam ἑτερογενεῖς, cuiusmodi sunt caput, humeri, pedes, quæ in partes genere differentes dispertiũtur: sic orationis partes ὁμοιομερεῖς sunt res & verba, ἑτερογενεῖς verò, quibus tanquam membris componitur, exordium, narratio, confirmatio, cõclusio: quæ quidem singulæ verbis & rebus perinde ac differentes partes similibus genere cõsistunt. Illæ naturam orationis indicant, istæ magnitudinem conficiunt. Quamobrem prudens Orator, cui propositum est auditorum voluntatem ad ea quæ dicit, perducere, primùm excogitare debet sententias & verba, quibus doceat, delectet, & moueat; deinde per partes collocare.

De Inuentione rerum.

CAP. III.

INuenire quæ causæ vtilia sint mens quidem à se potest, sed artis præcepta mentis quoq; solertiam adiuuant, vt certius & facilius inueniamus. Quapropter

sapientes

ſapientes quidam viri communes quoſdam locos docuêre, qui quaſi notæ eſſent argumẽtorum (etſi communes locos vulgus eos appellat, qui ſunt de virtute, officio, æquo & bono, dignitate, honore, præmio, & ſimilibus contrariisq́ue rebus, quòd videntur iidem multarum eſſe cauſarum) qui licet proprij cauſarum ſint, & inhærentes in earum neruis, tamen quia de vniuerſa re tractari ſolent, communes à veteribus nominati ſunt. Hanc certis ex locis argumenta inueniendi rationem Græci τοπικὴν, noſtrorum aliqui localem nuncupauerunt, eamq́ue dialectici aſſerunt ſuam; qui diſſerendi partes duas fecerunt, quarum altera inuenire, altera docet inuenta iudicare. Sed ne viderentur artis ſuæ adiumenta ab aliis petere, illam etiam ſibi rhetores vendicarunt: ſine qua Oratores non poſſent à quæſtione finita diſputationem ad infinitam, ſicut facere iubentur, reuocare. Et rhetorica ſanè dialecticæ ſimilis eſt, quatenus de propoſita quæſtione in vtranq́ue partem diſputat. Habent tamẽ cauſarum Ciuilium, in quibus præcipuè verſantur, proprios quoſdam locos, nimirum perſonarũ & rerum attributa, quæ vulgo circumſtantiæ nominantur. Verùm locorum doctrina variè tractata eſt.

Cic. in Orat.

Ariſtot. 1. Rhet.

Quid & quotuplex locus.

CAP. IIII.

EGo verò ſequar eam quam Cicero tradit rationem. Finit enim locum eſſe argumenti ſedem: facitq́ue locos alios inſitos, alios aſſumptos. Inſitos vocat, qui in eo ipſo infixi ſunt, de quo agitur: aſſumptos verò, qui in ipſa quæſtione non inhærẽt, ſed cùm extra ſint, ad quæſtionem tamen accerſuntur. Inſitorum duplex conditio. nam alij rem vniuerſam complectuntur, vt De-

In Topic. & Partit.

finitio, quæ explicat id quod definitur, vt Partium enumeratio, quæ totum in membra distribuit, vt Notatio, siue Etymologia, quæ rem interpretatur, quam nomen designat: alij rem tantùm attingunt, & affecti quodammodo sunt ad id, de quo quæritur. Ac quæ mutuum respectum habẽt, aut amica (inquit Boëtius) aut inter se dissidentia sunt. Amica aut in substantia (sic enim appellant, quam Græci οὐσίαν vocant) vt Genus, Forma, Antecedentia & Consequentia, Causa, Effectum; aut in qualitate, vt Coniugatum, Simile, Coniunctum; aut in quantitate, vt Paria. At Dissidentia (sunt autem dissidentia, quæ licet inter se diuersa sint, secum tamen conferuntur) partim à se Differentia tãtùm sunt, partim Aduersa. Aduersa in quã vel in qualitate, vt Contraria, Repugnantia; vel in quantitate, vt Maius & Minus. Loci verò assumpti etiam extrinseci vocantur, quia neque rem totam concludunt, nec cum re intimam cognationem habent. Cuiusmodi sunt Testimonia.

In Topic. Cicer.

De Probatione artificiali & inartificiali.

CAP. V.

PRæterea loci insiti artificiales, Græcè ἔντεχνοι; assumpti verò inartificiales, & ἄτεχνοι vocantur. Quam diuisionem Fabius Quinctilianus inuentam fuisse ab Aristotele dicit. Artificiales probationes sunt, quas ex ipsa causa trahit Orator, & quodammodo gignit, posita in dicentis inuentione, & in artis disputatione. At inartificiales licet in causa sint, ab Oratore tamen non inueniuntur: quanquam ad Oratorem delatæ ab ipso ratione & arte tractantur. Non igitur inartificiales dicuntur, quia nulla arte exornantur, sed quia

Lib. 5. cap. 1.

quia nullo Oratoris ingenio effingantur. Vnde maioribus eloquentiæ viribus subleuandæ sunt, quo minus ab Oratore excogitantur.

De locis insitis.

CAP. VI.

NEc profectò nostri instituti est cuiusq; loci naturam exquisitè rimari; nam res ista maiorem diligentiam, & grauiores authores postulat. sed vim cuiusque summatim ostendam.

Definitio est oratio, qua quid sit res explicatur; vel est rerum earum, quæ sunt eius rei propriæ, quam definire volumus, breuis & circumscripta quædam explicatio. Docent autem Dialectici definitionem genere & differentia perfici. Itaq; si voles definire hominem, sumes animal. Est enim genus: quod affectũ propria differentia hominem ab aliis animantibus secernet. Secernitur autem ratione. ergo hominem esse definies animal rationis capax. Sed quoniam vix vllæ propriæ differentiæ inueniuntur, docent, vt multa simul accipiantur, quæ seorsum sint aliis communia, sed coniuncta propriũ aliquod efficiant. Sicut in hac asini definitione, Asinus est animal, solidis pedibus, auritum, & fœcundum, singula separata multis animantibus congruunt, sed copulata vnum asinum cõstant. Differt autem definitio a descriptione, quòd definitio quid sit res breuiter exprimit, descriptio qualis sit fusius explicat, & quasi ante oculos ponit. Nec solùm personarum. sed etiam rerum, temporum, & locorum descriptio est.

Partitio est totius in membra distributio. neq; hinc remouenda diuisio est, quæ genus in species diuidit. Sed inter se tamen differunt: quoniam diuisio (vt scribit

Lib.7.cap.1. *Quintilianus) est rerum plurimarum in singulas, partitio singularum in partes. Exempli causâ. Animal genus est, quod significationis suæ ambitu multa comprehendit: diuiditurq́ in rationis capax, & expers; quæ res singulæ sunt. At rhetorica vna ars est, quæ in inuentionem, dispositionem, elocutionẽ, memoriam, & actionem, vt totum in partes secatur. Itaq́ partitio ista dicitur. Tũ species nomẽ generis accipiunt; nã homo animal nominatur; at partes totius nõ accipiũt. Præterea sublata vna, aut altera specie, adhuc stat genus; dempto vno, aut altero membro totũ labefactatur. Genus enim species cõstituit, at totũ ex mẽbris cõponitur. Quãquã vel magni authores, cùm negligẽtius loquuntur, interdũ partes pro formis, & pro diuisione partitionẽ dicunt.*

Etymologia, quæ Latinè nominis interpretatio, seu veriloquium, &, cùm verbi nouitas refugitur, notatio dicitur (quandoquidem nomen est rei nota) designat id quod nomen concipit. Ex eius vi sumitur quandoq́ argumentum, vt tumultus, id est, timor multus. Non attendimus hîc fortuitam verbi conditionem, quæ apud diuersas nationes varia est; alioqui non hæreret locus in eo ipso, de quo agitur; sed verbi sensum aduertimus, qui à re nõ separatur. Sic Vlp. l. III. *Rerum, inquit, vocabula immutabilia sunt, hominum verò mutabilia. Neq́ omnium nominum interpretationes dari possunt; neque eæ omnes veræ sunt, quas Grammatici comminiscuntur. Vtendum autem notatione parcè & accommodatè, dum occasionem locus obtulerit.*

Coniugata sunt ex verbis generis eiusdem: quæ nimirum ab vno verbo deriuata diuerso modo inflectuntur, vt sapientia, sapiens, sapere, sapienter. Huc pertinet locus à casibus: quem Aristoteles eum esse inquit,
Top. 2. *cùm à principali aliquo nomine aduerbia deducuntur,*

vt à

vt à sapientia sapienter, à iustitia iustè. Vocantur autem Coniugata, quia similitudine vocis sub vnum quasi iugum coguntur.

Genus Cicero dicit esse id, quod duas aut plures formas natura quidem inter se differentes, sed vocis communione non dissimiles cōtinet. Sicuti virtus genus est suo sinu coërcens prudentiam, iustitiam, fortitudinem, & temperantiam: quæ quidem inter se differunt, sed nomen virtutis æquè singulæ vsurpant. Quo etiam modo species indiuidua complectitur. De Orat. 2.

Species seu forma est, quæ propriis affecta differentiis nunquam à genere seiungitur. Neq; enim species aliud est, quam genus certis differentiis informatum, velut animal rationis capax homo est. Monet Fabius à specie ad genus affirmatiuè, contrà à genere ad speciẽ negatiuè argumentum valere. Nam species habet firmam generis probationem, refutationem infirmam; cōtra genus firmam habet refutationem formæ, probationem infirmam. Itaq; hi loci mutui sunt inter se: quoniam vt à genere ad formam, sic à specie ad genus argumentamur. quamuis genus à forma, nisi totum sumatur, separari possit, forma à genere non possit: nam si platanum dixeris, statim eam arborẽ esse intellexeris. Lib. 5. cap. x.

Similia sunt, quæ cùm diuersa sint, eiusdem tamen qualitatis sunt. Est autem similitudo, quam Græci παραβολὴν vocant, Philosophis & Oratoribus vsui, quoniam videtur ad persuadendum aptissima. Pulcherrima illa est apud Fabium, quemadmodum vascula oris angusti superfusam humoris copiam respuunt, sensim autem instillantibus replentur; sic tenera puerorũ ingenia grandia non percipiunt, modica & viribus suis apta commodius addiscunt. At similitudo, quæ nō omnibus suis partibus explicatur, sed rerum, aut personarum Lib. 1. cap. 3.

rum faciem quandam exprimit, εἰκὼν à Græcis, à Latinis imago dicitur, vt

Æneid. 1. Os, humerosque Deo similis. &

Æneid. 2. Qualis mugitus fugit cùm saucius aram
Taurus &c.

Differentia, quæ cùm diuersa sint, nullo tamen certo ductu inter se pugnant, aut genere sunt differentia, vt arbor. piscis; aut forma, vt aquila, vulpes; aut numero, nimirum quæ inter numerandum alia ab aliis segregãtur; aut quouis alio inter se modo distinguuntur. Sed quæ similia cognoscit, eadem mens differẽtia discernit. Nam simile idem est, differens diuersum.

In Prędicam. *Contraria, quæ Aristoteles vocat ἀντικείμενα, hoc est, opposita, aut sunt aduersa ἐναντία, à quibusdam communi nomine dicta contraria, aut priuantia στερητικὰ, aut in comparatione posita πρός τι, nõnulli relata appellant; aut aientia & negantia, quæ Græci ἀποφατικὰ, nostrorum aliqui contradicentia nominant. Aduersa sunt, quæ in eodem genere plurimum inter se differunt, vt sapientia & stultitia. Horum alterum sine altero esse potest, & vtrunq; in diuersis rebus inesse, nunquam tamen in eadem re vno eodemq; tempore. Duplex autem aduersorum conditio. Nam alia medio carent, vt leuitas & grauitas; omne enim corpus aut leue est, aut graue; quorum argumentatio conclusionem habet necessariam: alia medium habent, vt inter nigrum & album medius alius color est, quorum conclusio non infertur necessariò. Non enim si nigrum corpus non est, erit idcirco album. At Priuantia ex habitu intelligũtur. Nam priuatio eius rei est, quæ possidetur, vt cæcitas est priuatio visus in eo quod natum est videre. Neque enim cæcum dicimus nisi eum cui sensus oculorum à natura datus est. Sed quæ in comparatione posita sunt, ea*

qua ratione sunt, aliorum esse dicuntur, vt seruus domini dicitur seruus, & filius patris filius. Aientia vero & negãtia sunt ea, quorum idipsum negatur, quod prius affirmatum est. Necesse igitur est, vt id neges, quod ante affirmasti, sic Philosophatur Plato, & Non philosophatur. Quæ si ad plures referantur, non erunt contradicentia. In his perpetua lex hæc est, vt de omni re necesse sit verè alterum dici, vtrunq; de nullo. Ergo Opposita sunt (vt definit Boëtius) quæ in eodem secundum idem, eodem tempore circa vnam eandemq; rem simul esse non possunt. Differuntq; inter se, quòd Contradicentia semper integra finiuntur oratione, & alterum affirmatur, alterum negatur; reliqua opposita simplicibus orationis partibus constant, in quibus neq. verum, neque falsum inest. Tum inter aduersa & relata hoc interest, quod relata necessariò simul eodem tempore aut esse, aut non esse debent; aduersa non item. Quæ etiam distant a priuantibus, & contradicentibus; quòd aduersa eodem tempore in diuersis rebus esse possunt, priuantia & contradicentia non possunt. Ad hæc priuantia ab aduersis, in quibus medium aliquod est, eo dissentiunt, quòd ipsa medium nullum habent. ab his vero, in quibus nullum medium est, hoc discrepãt, quod semper necesse est eorum alterum in subiecta sibi re inesse, priuantia non semper. Non enim qui natus aptus est videre, aut videt, aut cæcus est. Nam infans neque videt, neq; cæcus est. Deniq; aduersa in suis qualitatibus considerantur, priuationes non quòd ipsæ sint aliquid, sed ex habitus absentia cognoscuntur. At verò relata dissident ab aduersis, & priuantibus, quòd illa neq; in comparatione sita sunt, & vno eodemq; tempore simul esse non possunt: relata separari à se nequeunt, & ipsa relationis prædicatione consistunt. Quas oppositorum

In Topic. Cic.

ſitorum differentias Boëtius ſatis copioſè perſequitur.

Coniuncta, ſiue adiuncta, ſiue applicata finitima cũ re ſunt, quæ vel antecedunt, vel comitantur, vel ſubſequuntur, haud tamen neceſſariò. Qui locus totus penè eſt oratorius, faciens ad cauſas coniecturales, in quibus de facto quæritur. Nam tunc quærimus quæ rem præceſſerint, quæ cum re fuerint, quæ rem ſubſecuta ſint. Ante rem apparatus, colloquia, locus; cum re pedũ crepitus, ſtrepitus hominum, corporum vmbræ; poſt rem rubor, pallor, titubatio, reſtinctus ignis, gladius cruentus, & ſimilia, quæ ſuſpicionem facti poſſunt mouere. Ab adiunctis autem probabiliter, non neceſſariò argumentamur. Non enim qui erubuerit, aut viſus fuerit cum gladio, neceſſe eſt ab eo factam cædẽ fuiſſe. Igitur ab adiunctis locus eſt, quando ex eo, quod proponitur, aliquid aliud vel eſſe, vel fuiſſe, vel futurum eſſe coniicimus.

Antecedentia, Conſequentia, Repugnantia quoniã loci ſunt (vt Græcè loquar) hypothetici, atq; eodem modo tractantur, ſimul exponentur. Antecedens eſt, quo poſito aliud neceſſariò conſequitur: Conſequens, quod antecedens conſequitur, nec ab eo vnquam ſeparatur. Atqui adiuncta neq; rem antecedunt neceſſariò, neque ſubſequuntur: quocirca ab antecedentibus, & conſequentibus diſtant. Antecedens, ſi arrogans eſt, odioſus eſt: &, ſi bellum eſt, inimicitiæ ſunt. Conſequens eſt inimicitiæ. Et quanquam inimicitiæ bellum natura antecedunt, tamen non id dicimus antecedens, quod prius eſt tempore, ſed id, quo poſito aliud neceſſe eſt ſequi, licet natura prius non ſit. Repugnantia eiuſmodi ſunt, vt cohærere nunquam poſſint. Neque verò ob id repugnantia eſſe aduerſa dixeris: ſed quoties id, quod aduerſorum alteri natura coniunctum eſt, alteri opponi-

tur, tunc repugnantia fiunt: vt amicitiæ, & nocēdi voluntas, quæ ab odio proficiscitur. Quoniam verò antecedentia, & consequentia cohærent necessariò, nec cohærent repugnantia, atq; eadem ratio consentanea & dissentanea discernit, hos tres locos simul eadem intelligentia considerat. Fiunt autem hypotheticæ argumentationes ex duabus propositionibus simplicibus, id est, duabus orationibus intercedente cōiunctione hypothetica: vt, Si homo est, animal est. & Si amicus est, nocere nolit. Quamobrem nonnulli argumētationes istas esse, non locos existimant, quoniam ex aliis locis inuēta argumenta istis formis explicantur: vt hoc, Si homo est, animal est, argumentum à specie ductū videtur. Quod equidem non nego, sed etiam locos esse aio, quoniam ex se quandam viam inueniendi argumenta demonstrāt. Id quod de repugnantibus nemo dubitarit. Sed aduertendum est in multis sæpe coniunctionem latêre, quæ hypotheticam argumentationem efficit.

Causa & Effectum, hi quoque coniuncti sunt loci, perinde vt antecedens & consequens. Nam causa est, quæ aliquid efficit: effectum, quod efficitur à causa. Neque in his temporis ratio, sed naturæ proprietas attenditur. Verùm Cicero causas paulo aliter quàm Aristoteles exequutus est: sed Aristoteles magis probatur; qui causas diuidit in efficientem, à qua aliquid efficitur: Materiam, ex qua efficitur: Formam, per quam efficitur: Finem, cuius gratia efficitur. Causa efficiens vel necessitate facit, vel delectu. Necessitate autem, quæ vel naturæ conatu, vt ignis naturali vi sua calefacit, vel externa vi impellitur, vt aqua non vi sua, sed ignis calore feruescit. Et efficientes causæ aliæ sunt κυρίαι & principantes, vt imperator in bello: aliæ obsequentes, vt milites. Materia nobis est quæuis res, ex qua aliquid

fit;

sit; Forma, modus quidam materiæ, quo huius, vel illius formæ nomen accipit, vt lapides & cæmẽtum ædificiorum materia sunt, modus autem ædificij forma. Finis est, cuius gratia res fit: qui actione vltimus, sed proposito primus est: quare in causis dominatur. Nihil enim agimus, quod non prius animo destinauimus. Vt militis finis est victoria. Quem finem vbi consecuti sumus, tunc ab omni opere desistimus. At effectum est, quod efficitur ex causa; à qua porro nunquam seiungitur. Nam causa effectum indicat, effectum quæ fuerit causa demonstrat. Aliqui effecta a destinatis distinguunt, quòd effecta dicantur, quæ ab efficientibus causis efficiuntur; destinata, quæ in certum aliquem finem destinantur; verùm ea Cicero vno effectorum nomine comprehendit.

In Top. *Comparata aut maiora, aut minora, aut paria sunt. Tripertitus igitur locus est à maiori, minori, & pari: in quibus Ciceronis iudicio spectari debent numerus, species, vis, quædam etiam ad res aliquas affectio. Verũtamen Aristoteles maius vocat id, quod est vero similius; minus, quod est vero dissimilius. A minori ad maius affirmatiuè, cõtrà à maiori ad minus negatiuè valet argumẽtum: vt Nõ potest hoc facere imperator, ergo nec miles. Grammatici comparationem à similitudine non secernunt. Rodolphus Agricola rectè distinxit, vt Comparatio sit, cùm duo, aut plura in tertio aliquo conferuntur, cuiusmodi à pari est apud Quintilianum, qui ob rem iudicandam pecuniam accipit, & ob dicendum falsum testimonium accipiet. Vides vt duo illa, rem iudicare, & testimonium dicere, cum tertio illo, pecuniam accipere, coniungantur? Quod tamen tertium nõ semper exprimitur, sed sua singulis propria attribuuntur; vt apud Virgilium,*

De Inuētione dialect. lib. 1. cap. 25.

Lib. 5.

Æneid. 4.

Si te

—— Si te Carthaginis arces
Phœnissam, Tyriæq. aspectus detinet vrbis,
Quæ tandem Ausonia Teucros considere terra
Inuidia est? *Singula sunt,*

Si tibi Dido licuit habitare Africam, liceat etiã mihi Æneæ Italiam petere. *Tertium autem vtriq; commune est, quod deinceps dicitur,*

Et nos fas extera quærere regna.

Idcirco diligenter inspicienda sunt quæ conferantur, & quæ in re proxima & communi conferantur. A pari posui iam exemplum, subiungam à maiori & minori. A maiori illud est, Seruare potui, perdere an possim rogas? Apud Ouidiũ Medea. *& Cicero pro Milone, Quem iure, quem impunè non est ausus, hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore periculo capitis non dubitauit occidere? A minori est illud, Histrio quid deceat quærit, & non idem faciat Orator?* Cic. in Orat. *& apud Terentium, Si mortem ita fert huius* In Andria. *mulierculæ, quid mihi faciat patri? Similitudo verò non est rerum inter se in vno tertio comparatio, sed in singulis rebus singularum qualitatum similis quædam inter se inspectio. Exemplum posui antè in similibus, addam ex Cicerone aliud, Vt corpora nostra sine mẽte, ita ciuitas sine lege suis partibus, vt neruis, ac sanguine, & membris vti non potest. Quare liquidò apparet non propriè à Grammaticis similitudinem comparationem vocari: quamuis Fabius Quintilianus sæpe dicat simile quod est par.*

De exemplis.

CAP. VII.

D*Einceps videndum est exempla, quæ ab Oratoribus ad amplificandum & probandum in oratio-*

ne frequenter adhibentur, num loci sint, an argumenta, & ad quos vtiq; locos referantur. Exemplum autem dico, quod Græci παράδειγμα, rei gestæ (sicuti Fabius definit) vel perinde vt gestæ vtilem ad probandum commemorationem. Ac mea sententia exemplum non est locus; sed argumentum, quod ex aliis locis eruitur. Eruitur autem (vt ait Cicero) maximè ex similibus: quod propter nonnulli παράδειγμα similitudinem appellarūt; vt Fabius verò sentit, etiam à contrariis, & comparatis. Simile illud est, Iure occisus Saturninus, sicut & Gracchi, quòd nimirum similia tentauerint. Dissimile illud, Brutus occidit liberos proditionem molientes, Manlius virtutem filij morte mulctauit. Contrarium, Marcellus ornamenta Syracusanis hostibus restituit, Verres eadem sociis abstulit. Par illud mihi esse videtur, Si Gracchi iure occisi sunt, & Saturninus. Maius minoris, M. Horatius cùm sua manu sororem esse interfectam fateretur, tamen populi Romani consiliis liberatus est; ergo & Milo iure liberari poterit, qui insidiatorem interfecit. Minus maioris, Occidi occidi non Sp. Melium, qui annona leuanda, iacturaq; rei familiaris, quia nimis amplecti plebem videbatur, in suspicionem incidit appetendi regni, sed eum (audet enim dicere, cùm patriam suo periculo liberasset) cuius nefariū adulterium in puluinaribus bonæ Deæ deprehensum est; & quæ sequuntur. sed dicet fortè aliquis, Exempla non fiunt ab Oratore: nō igitur ad locos insitos referenda sunt. Esto, exempla non fingat Orator: tamen exemplorum ad rem, qua de agitur, insitas quasdam & intrinsecas rationes ex locis suo certè ipse ingenio inuenit. Exemplum autem vel est verum, vel fabulosum: & vtroq; pro causæ utilitate & decore vtatur is qui dicit, nunc totum recensendo, aut etiam amplificando, nunc

Lib. 5. ca. 11. (margin, beside "co, quod Græci")

Pro Milone. (margin, beside "diatorem interfecit")

breuiter

breuiter significando; ac sæpe illud vel à scriptoris laude, vel rei, vel personarum dignitate commendet. Verùm vt fabulosa minus habent affirmationis, sic antiquiora plus habent authoritatis.

Quomodo loci insiti & loci sunt, & argumenta.

CAP. VIII.

Ceterùm loci insiti tunc propriè loci sunt, cùm ex illis argumenta promuntur, tunc verò argumenta cùm ipsi ad probandum adhibentur. Exempli gratia. Probandum est vtilem esse rhetoricam: hoc ita demonstro. Ars bene dicendi vtilis est: atqui rhetorica est ars bene dicendi: vtilis ergo est. In hac argumētatione probatio sumpta est ex definitione Rhetorices. Ideoq; definitio locus est. Sin verò definitionis locum ipsum ad probandum capiam, tunc ipse locus erit argumentum. Sunt autem loci argumenta nimirum maximè locorū propositiones, quæ vniuersales, & exploratæ, atq; omnibus vi sua perspicuæ sunt, vt (sic enim Boëtius)

Cuicunq; conuenit definitio, & id, quod definitur.

Cuius partium nihil rei propositæ copulatum est, ei ne totum quidem potest esse coniunctum.

Interpretatio nominis idem valet quod nomen.

Cui conuenit aliquid, huic etiam coniugatum eius potest sociari.

Cui conuenit totum genus, eidem omnes species conueniunt.

Quod de vna specie dicitur, idem in alteram non potest transferri.

Similibus rebus eadem conueniunt.

De differentibus idem intelligi non potest.

Quod alicui conuenit, id eius contrario nō cōuenit.

Adiuncta ex adiunctis penduntur.

Antecedens vbi est, ibi erit & consequens: vbi verò consequens non est, ibi ne antecedens quidem esse potest.

Ex causis vniuscuiusq; rei effectum spectari oportet.

Causæ ab effectis suis non separantur.

Quod in re maiori valet, valeat in minori.

Quod in re minori valet, valeat in maiori.

Paribus in rebus æquitas paria iura desiderat.

Horum locorum naturam Orator ita nosse debet, & in promptu tenere, vt ad propositam quæstionem non necesse habeat quasi ostiatim singulos adire, sed ex paratis sedibus facilè ac subitò argumenta depromat: nec temerè omnes amplectetur, sed quemq; diligenter expendet. Qui autem loci proprij sint, cuiusq; quæstionis, suo loco dicemus.

De locis assumptis.

CAP. IX.

AC de locis assumptis, quibus Orator etiam quasi propriis vtitur ad probandum factum, pauca dicamus. (In Topic. & Partit.) *Cicero extrinsecos locos vno testimonij nomine comprehendit. Testimonium enim id omne dicit esse, quod ab aliqua re externa sumitur ad faciendā fidem. Et testimoniorum duo facit genera, alterum diuinum, alterum humanum. Diuinum est, quod numinis voce profertur; quodq; sacerdotes, & vates veluti cælestium arcanorum conscij, & interpretes effantur. Humanum spectatur ex authoritate, voluntate, oratione aut libera aut expressa: in quo insunt scripta, pacta, iurata, quæsita.* (Lib. 5. cap. 1.) *Fabius verò testimonium in præiudicia, rumorem, tormenta, tabulas, iusiurandum, & testes diuidit. quorum cognitio facilis est.*

De perſonarum & rerum attributis.

CAP. X.

SVnt adhuc alij præter hos, quos declarauimus, loci, rerum, inquam, & perſonarum attributa, quæ vulgo circumſtantiæ nominantur, ciuilibus quæſtionibus, præſertim coniecturalibus accommodati. Fabio Lib. 5. ca. 10. *perſonæ circumſtantiæ ſunt, Genus, in quo ſpectatur à quibus parentibus ortus ſit: Natio, Romanus, an Græcus, an Barbarus: Patria, in qua conſiderantur mores, leges, & inſtituta. Sexus, vir ne, an fœmina: ille magis ſeuerus, hæc minus conſtans. Ætas, puer, an iuuenis, an vir an ſenex. Educatio, ſiue Diſciplina, à quibus, & quo modo inſtitutus fuerit. Habitus corporis, pulcher an deformis, debilis an robuſtus. Fortuna, diues an pauper. Siquidem elatior animo diues eſt, ſubmiſſior pauper. Conditio, clarus an obſcurus, liber an ſeruus, ciuis an peregrinus. Natura animi, auarus an liberalis, iracundus an miſericors. Victus, luxurioſus, an ſordidus, an frugi. Studia, miles an mercator, an literis deditus. Affectus, quid quiſq; videri magis affectet, an diues, an eruditus, an probus. Anteacta, & dicta. nã ex præteritis & præſentia iudicamus, & futura coniicimus: oratio quoq; animi interpres eſt. Nomen, quod quidem parum ad probandum, ſæpe ſatis ad ridendum valet; vt ſi Verrem dicas, qui omnia furando verrat. Sanè Horatius ætates pulchrè deſcripſit; ac cuiuſq; mores &* De arte Poët. *ſtudia doctè in Rhetoricis Ariſtoteles expreſſit. At Cicero in perſona ſpectauit Naturam, & Fortunam.* Lib. 2. In Partit. *Natura vel eſt animi, vel corporis. In corpore ſexus, ætas, figura, valetudo, vires, atq; his ſimilia: in animo ſunt virtutes, & vitia, artes & inërtia, perturbationes, cupiditas, metus, voluptas, moleſtia. Fortunæ verò bo-*

na sunt genus, amicitiæ, liberi, propinqui, affines, opes, honores, potestates, diuitiæ, libertas, & his contraria. Iam rei, quæ cum persona coniuncta est, circumstantiæ sunt, Causa, tempus, locus, occasio, instrumentum, modus. Causa est, quæ hominem mouet ad rem aliquam faciendam: quæ vel sine ratione; tunc enim est animi impetus, Græcè ὁρμὴ; vel cum ratione suscipitur commodorum adeptionis, & malorum euitationis gratia. Tempus vel præteritum, vel præsens, vel futurum: temporis quoq; partes sunt, hyems, ver, æstas, autumnus; mēsis, dies, nox, hora, tempestas. Locus spectatur opportunus an importunus, longinquus an propinquus, saluber an pestilens, celebris an desertus. Occasio est aliquid faciendi, vel non faciendi opportunitas. Instrumentum est omne illud, quo quis ad faciendum aliquid vtitur. Modus ita consideratur, si quispiam aliquid clam vel palam, vi an persuasione, & his similibus rebus egerit, vel agat, vel acturus sit. Hi maximè loci (nam omnes comprehendi non possunt) Oratori solent in quæstione finita & ciuili suppeditare argumentandi copiam. Sed in quærendo diligentiam, in eligendo iudicium, in tractando solertiam adhibeat.

De Elocutione.

CAP. XI.

POst *rerum inuentionem (nam earum dispositionem ad cuiusq; generis causarum finem pòst accommodabimus) verborum cura explicanda est. Hæc vel in simplicibus verbis, vel in coniunctis versatur. Vbique*
De Orat. 3. & in Orat. *autem (vt præcipitur à Cicerone) Latinè, dilucidè, ornatè, aptè loquendum. Ac simplicia quidem verba inuenienda sunt, coniuncta verò collocanda. Verùm inuentia*

uentio propriè rerum dicitur, quippe quæ ab ipsarum dispositione secernitur; at elocutio sine verborum collocatione nulla est. Quamobrē, Cicero inquit, sed & res & verba inuenienda sunt, & collocanda. Propriè autē in rebus inuenire, in verbis eloqui dicitur. In Partit.

De Verbis simplicibus.

CAP. XII.

Verba simplicia vel natiua sunt, vel reperta. Natiua dico, quæ nata penè sunt vnà cum rebus ipsis, à primis inquam hominibus imposita, & signata (vt Fabius loquitur) primo sensu, quæ id nimirum significant, in quod primum denominata sunt: reperta verò, quæ nata quidem non sunt cum rebus ipsis, sed ex ipsis natiuis facta; facta inquam cum Cicerone vel similitudine, vel inflexione, vel coniunctione verborum, vel etiā nominis fictione. Similitudo, siue Analogia, quā nonnulli proportionem vocant, est, cùm verbum dubium ad id, de quo non quæritur, simile adhibetur: sicut perspicientiam Cicero dixit, perinde ac sapientiam; & fratricidam, non secus ac patricidam; & Horatius iuuenesco veluti feruesco. quæ tum certè nouata per similitudinē sunt, si prius non existant: alioquin si antè in vsu fuissent, nouata non essent. Inflexio, seu Deriuatio aliud ex alio verbo præter vsitatā formā inflectit atq; deriuat: sic à membratim membratè, à circumscriptim circumscriptè, & necessitudo, vt necessitas apud Sallustiū, & apud Terentium curatura pro cura, & beatitas apud Ciceronem legitur tanquam beatitudo: in quibus quædam analogiæ ratio seruatur. Veruntamen deriuatio non nouum facit omnino, sed noua terminatione natiuum inflectit: Analogia verò ad alterius similitudinem De Orat. 3. Lib. 1. cap. 5. In Partit.

facit nouum. Coniunctio siue compositio verborum nouat verba, verbis aliis adiunctis, vt expectorare, versutiloquus, armipotens: quæ maximè propria sunt poëtarum. Nominis fictio à Græcis ὀνοματοποιΐα dicitur, atque inter tropos enumeratur: de quibus paulo pòst dicemus. Et quanquam Horatius ait:

In De arte Poët.

—— Licuit, semperque licebit
Signatum præsente nota producere nomen;

tamen nobis, quibus sermo Latinus periit, licere amplius non arbitror, ni in rebus nouis Latinæ linguæ peritioribus, & quidem vereccundè. nec à vulgo loquendi modum, sed à probatis authoribus petere debemus. Itaque vsitata à bonis authoribus verba ab inusitatis secernere oportet. Vsitata dico, quæ frequentius apud illos inueniuntur; inusitata, quæ aut nũquam, aut rarius occurrunt. Atq; minus vsitatis parcius vtemur. Huiusmodi sunt passi senes pro rugosi; interduatim & iteratim, pro interdũ & interim. Illa quoq; rarius legimus antigerio, oppido, & similia: quibus Apuleius studiosissimus antiquitatis abundat. Sed vsitata qualia sint, etiam videndum est. Quædam enim translata sunt, quædam non sunt. Translata voco, quæ tropis sunt modificata, metaphora, synecdoche, metonymia, antonomasia, onomatopœia, catachresi, metalepsi, epitheto. metaplasmum, qui dictionem trãsformat, vt proprium poëtis, omitto. Quæ verò translata non sunt, aduertendum etiam est, natura cuiusmodi sint: nam quædam verba ex se consonantiora, grauiora, leniora, & quodammodo nitidiora sunt: quædã obscura, exilia, aspera, & sordida. Etenim u & i, quibusdam cum literis acutius; a. & o. præsertim longa, grauius; e. lenius sonat. Et ex consonantibus quædam etiam meliorem sonum habent. Tamen (inquit Fabius) vt syllabæ è literis melius

Lib. 8. cap. 3.

lius sonantibus clariores, ita verba è syllabis magis vocalibus sonantiora sunt: & quo plus quæq; spiritus habet, eo est auditu pulchrior. Tum honesta turpibus potiora semper existunt, nec sordidis vnquam in oratione locus est. Deniq; verba simplicia Latina esse debent nō peregrina, propria, quæ rem maximè declarent, & vsitata. nam inusitata in impropriis duco. ornata etiam tropis, & ex his tum grauitate, tum lenitate & elegātia seligenda meliora: postremò apta rebus esse debent, magnis sublimia, paruis humilia, lætis suauia, atrocibus aspera, & materiæ modo quæq; ponderanda sunt.

De Verbis coniunctis.

CAP. XIII.

PErfecta verborum coniunctio sensum absoluta continuatione comprehendens Græcè περίοδος, à Cicerone dicitur ambitus, circuitus, comprehensio, cōtinuatio: sæpè etiam circumscriptio. Constat autem Periodus incisis, & membris. Membrum, Græcè κῶλον, sensus est (vt tradit Fabius) perfectus, & numeris conclusus; sed à toto corpore abruptus, & per se nihil efficiens: vt Incurristi amens in columnas; vnum membrum est; In alienos insanus insanisti; alterum quoq; membrum. Incisum, siue articulus, Græcè κόμμα, non habet numeris conclusum sensum, & pars membri est. sic, Domus tibi deerat? at habebas: pecunia superabat? at egebas: quatuor incisa sunt, membra duo. Itaq; vt membrum periodi, sic incisum membri pars est. Ac periodus interdum longior est, interdum simplicior, cùm sensum vnum breuiter comprehendit; vt, Nemo est qui non sibi malit, quàm alteri. Sed in oratione circuitus verborum nec breuior esse debet, quàm aures expectent; nec

In Orat.

L.b.9.cap.4.

Cic. in Orat.

longior, quàm vires atq; anima patiatur: concludatq; ritè sensum, sitq; apertus, vt intelligatur, non immodi-
Lib.9. cap.4. *cus, vt memoriam superet. Habebit autem per Fabium membra minimum duo, communiter quatuor, sed recipiet frequenter & plura. Modus ei vel quattuor sena-*
In Orat. *riis versibus, vel ipsius spiritus moderatione à Cicerone terminatur. Præterea volunt nonnulli periodum verbo claudi, quòd in eo vis sermonis insit: verùm si asperum id sit, cedat ratio numeris, fiatq; vocum transgressionibus figura hyperbatos ab Oratoribus non raro vsurpata: & si qua sit dictio, in qua sensus magis insistat, ea vltimo loco ponatur. Hoc autem prudentis est videre, vt verbis atque sententiis semper insurgat, non de-*
Lib.9. cap.4. *crescat oratio. Illa verò obseruatio Fabij iudicio nimia est, vt vocabula verbis, verba rursum aduerbiis, nomina appositis, & pronominibus rursum priora sint. Nã fit quoque contrà frequenter non indecorè. In vniuer-*
Ibid. *sum felicissimus sermo est (inquit idem Fabius) cui & rectus ordo, & apta iunctura, & cum his numerus opportunè cadens contingit. Deinceps quomodo fiat oratio emendata, perspicua, ornata, & apta, dicamus.*

De oratione Latina, perspicua, & ornata.

CAP. XIIII.

In Partit. *EMendatè verba iunguntur, cùm verborum consecutio seruatur, hoc est (inquit Cicero) cùm nec generibus, nec numeris, nec temporibus, nec personis, nec casibus perturbatur oratio: alioquin vt in simplicibus barbarismus, sic in malè coniunctis verbis est vitium solœcismus. Quam rectè loquendi rationem Grammaticis relinquamus. Altera virtus compositionis est, vt*
De Orat. 3. *dilucida sit: quam authore Cicerone his rebus assequi pos-*

possumus, si ea, quæ dicimus, intelligantur, Latinè scilicet loquendo, verbis vsitatis, ac propriè demonstrantibus ea, quæ significari ac declarari volumus, sine ambiguo verbo, ac sermone, non nimis longa continuatione verborum, non valdè productis iis, quæ similitudinis causa ex aliis rebus transferuntur, non discerptis sententiis, non præposteris temporibus, non confusis personis, non perturbato ordine. Ita certè sermo Fabij sententia & doctis probabilis, & planus imperitis erit, si propria verba, rectus ordo, non in longum dilata cõclusio, nihil neque desit, neque supersit. Diluciditati cõtrario nomine obscuritas opponitur, quæ fit aut longitudine, aut contractionẽ orationis, aut ambiguitate, aut inflexione & immutatione verborum. Tertia laus orationis est ornatus: in quo lenitatem, numerum, ac rerũ verborumq́ lumina spectamus. Lenitatẽ & numerum in primis verborũ structura facit. Fit enim lenis, dulcis, & æquabilis oratio, si verborũ concursus neq; asper sit, neq. hiulcus, sed (vt ait Cicero) quodammodo coagmentatus, & leuis: si nec concurrant vocales, vt illic, Baccæ æneæ impendebant; nec asperiores consonantes præsertim x & s inter se cõmissæ rixentur, vt Ars studiorum. quamobrem antiqui subtrahebant s. nec sequẽs dictio ab vltimis præcedentis incipiat, vt, O fortunatã natam. Adhæc si eiusdem literæ assiduitas vitetur: vt, O Tite tute tati tibi tanta tyranne tulisti. nec insuper vtamur continuè similiter cadentibus, & desinentibus, ac declinatis, vt Flentes, plorantes, lacrymãtes, & miserantes. Postremò plura simul monosyllaba, plures dictiones breues, aut longæ, nomina iũcta nominibus, verba verbis, similia similibus, & insuauis eiusdem dictionis repetitio, & verborum vitiosa traiectio, ac longa continuatio fugienda est.

Lib. 9. cap. 4.

De Orat. 3.

De Numeris.

CAP. XV.

ET quemadmodum consecutione verborum lenitas, sic etiam quidam numerus efficitur. Numerus autem est (vt Cicero definit) quidquid sub aurium mensuram cadit, Græcè ῥυθμός. Sed numerosa oratio nō est (vt idem inquit) ea, quæ tota constat è numeris; tunc enim carmen fieret, quod Græci μέτρον vocāt; verùm quæ ad numeros proximè accedit. Illud in oratione reprehenditur, hoc summa admiratione laudatur. Metrum est proprium poëtarum, rhythmi Oratorum: in vtrisque autem iidem sunt pedes. Quorum dissyllabi quatuor, è tribus syllabis octo, è quatuor sexdecim. quanquā non pedes, sed numeri nonnullis videntur, qui plures quàm tres syllabas accipiunt, scilicet è dissyllabis trisyllabisue compositi. Productas syllabas linea longa, breues incurua notabimus.

In Orat. ad Brutum 16.

Dissyllabi quatuor.

Spondeus	— —.	*Pyrrhichius*	∪ ∪.
Choreus, vel Chorius	— ∪.	*Iambus*	∪ —.

Trisyllabi octo.

Molossus	— — —.	*Tribrachus*	∪ ∪ ∪.
Dactylus	— ∪ ∪.	*Anapæstus*	∪ ∪ —.
Antibacchius	— — ∪.	*Bacchius*	∪ — —.
Amphimacrus	— ∪ —.	*Amphibrachus*	∪ — ∪.

Quadrisyllabi sexdecim.

Dispondeus	— — — —.	*Proceleumaticus*	∪ ∪ ∪ ∪.
Pæon 1	— ∪ ∪ ∪.	*Epitritus 1*	∪ — — —.

Epitri-

Epitritus 2° —∪——. *Pæon 2°* ∪—∪∪.
Epitritus 3° ——∪—. *Pæon 3°* ∪∪—∪.
Epitritus 4° ———∪. *Pæon 4°* ∪∪∪—.
Ionicus à maiore ——∪∪. *Ionicus à minore* ∪∪——.
Dichoreus —∪—∪. *Diiambus* ∪—∪—.
Choriambus —∪∪—. *Antipastus* ∪——∪.

Aduerte Choreum *à quibusdã appellari trochæũ, eodemq́; nomine frequenter tribrachum notari: quem propter celeritatem Aristoteles cordacẽ vocauit. Habet enim paria spatia. nam longa syllaba temporis interuallo duabus breuibus par est. Sed & amphimacrũ creticum, & amphibrachum scholiũ nominant, & pyrrhichium sæpe pariiambum. At quando eosdem pedes Oratores simul & Poëtæ vsurpant, videamus quid metrum à rhythmo differat. Rhythmus (vt ait Fabius) tantum spatia temporum considerat, metrum etiã ordinem sequitur: ille quantitatem, hoc etiam qualitatẽ aduertit. Exempli causa. Hexametrum sex pedes recipit, nec plures potest recipere; ac quintus semper esse debet dactylus, sextus spondeus, reliquis locis sine vllo discrimine aut dactylus, aut spondeus ponitur. Itaque pro dactylo anapæstum ponere non licet: quamuis totidem spatia sint in anapæsto, quot in dactylo. Tamen Orator tanta lege non astringitur, sed spatia tantùm considerat, neque alterum pro altero pedem apponere laborat, dum numerosè cadat oratio. Atque hoc est, quod de poëtis Cicero inquit, Vitiosum in illis esse, si quid vel spiritu quidem minimo breuius sit, vel longius, quàm necesse sit. Idemq́; Oratoris orationem inquit idcirco solutam dici, quòd liberior sit, quàm Poëtarum, non vt fugiat tamen, aut erret, sed vt sine vinculis sibi ipsa moderetur. quanquam Fabius solutam orationem vocat, quæ in epistolis est, & sermone vulgari, quòd in*

Lib. 3. cap. 8. Cic. in Orat.
Lib. 9. cap. 4.
In Orat.
Ibid.
Lib. 9. cap. 4.

his

his laxiora vincula sint: vinctam verò Oratorum dicit, quòd quibusdam numeris constet. Vnde carmen, quia totum è numeris constat, nonnulli definiunt esse orationem strictiori pedum lege coërcitam. Verùm inspiciamus, qui numeri potissimùm in oratione seruandi sint.

In Orat. *Cicero ait numerosè cadere orationem tum cõcinnitate verborum, tum etiam arte quadam, & obseruatione. Nam ita sæpe par pari refertur, & cõtrarium cõtrario opponitur, & verba verbis comparantur, cadúntque similiter, vt numeros ipsa sola concinnitas efficiat. Ars verò tradit longas syllabas grauem & tardam orationem, breues celerem & mobilem efficere: & vtrasque pro rei conditione vtiles esse: quippe narrationes tarditatẽ, confirmationes celeritatem amant. Sed inter se commiscendæ syllabæ sunt, ne si totæ celeres sint, subsultet; sin graues, retardetur oratio. Studendum etiam est, ne vltima prioribus aut breuiora, aut longiora fiant. Et quemadmodum è syllabis aliæ celeres, aliæ tardæ, sic è pedibus alij celeriores, alij grauiores existunt, atque alij*

Lib. 3. cap. 8. *in re humiliori, alij in grauiori vtiliores sunt. Itaque Aristoteles iambum humiliorem putat, tribrachum vt celeriorem damnat: pæona grauem existimat, dactylũ medium censet. Et licet aliqui pæona sequantur, & dactylum, fugiant verò spondeum, & tribrachum; tamen inter se pedes miscere oportet: quia semper integrum nõ*

Lib. 9. cap. 4. *est certis pedibus vti; & ad vicinos (vt ait Fabius) irrumpere quandoque necesse est. Quoniam verò numeri non in continuatione verborum, sed in distinctione cognoscuntur, & prima pauci cernunt, postrema plerique, qui in fine maximè probentur pedes diligenter noscendi sunt. Et dominantur quidem pedes potissimùm in orationis fine. Aures enim non tam incipientem orationem, quàm cadentem excipiunt. Sed fluere etiam à*

prin-

principio debẽt omnia, nihilq́; coactè vinciri. Primùm, inquit Cicero, extrema primis aut paria, aut, quod melius est, longiora ſunto. Nam ſi breuiora fuerint, verborum ambitus infringetur. Quare longis finire multum à Fabio laudatur; ſed & interdum breuibus. Vltima autem Ciceroni indifferens eſt; quoniam illi temporis ſpatium accedit ex eo, quod inſequitur. Tamen Fabius exiſtimat multum referre, vtrum ne lõga ſit quæ claudit, an pro longa. Idcirco nonnulli aſſeruerũt vltimam longam tria ſpatia continere. Ariſtoteles pæona, quem quartum nũcupauimus, maximè omnium probat; Fabius propter multas breues reſpuit; Cicero anteponit Creticum, ſiue idem ſit dactylus, quoniam vltima indifferens eſt. probat & dichoreum, quo Aſiani ſunt vſi plurimum; probat & dochimum, qui ex iambo & cretico fit, ſeuerus in clauſulis, & variandus propter ſatietatem. Refert tamẽ adeò vna ne dictione pes, an pluribus contineatur. Nam quandoq́; vna dictione cõtentus, quàm pluribus, melius ſonat. Spondeus ſecundum Ciceronem non expertem habet dignitatis gradum, quo Demoſthenes plurimum vſus eſt. Sed vidẽdum etiam, qui pedes poſtremò anteponantur. ſiquidem dactylus bene iambum, & creticum habet ante ſe; ſpõdeum male, peius choreum. & ſpondeo nec ſpondeus, nec dactylus bene præponitur; at poſt pyrrhichium minus eſt grauis; ſed optimè eum antecedet vel iambus vel choreus, vel creticus, vel anapæſtus, vel creticus & anapæſtus ſimul. quandoquidem licet tres pedes extremos ſimul metiri: plures velle perpendere, curioſum eſt. Creticus præcedente cretico, vel pæone, vel anapæſto laudatur, ſpernitur antecedente choreo. Non autem ſpernitur anapæſtus ſibi iunctus, vel ſpondeo etiam, vel poſtpoſitus

De Orat. 3.
Lib. 9. cap. 4.
In Orat.
Lib. 9. cap. 4.
Lib. 3. cap. 8.
Lib. 9. cap. 4.
In Orat.
In Orat.

tus bacchio. Sed & iambus sequens spõdeum recipitur; tribrachus reiicitur, nisi pro anapæsto sit, quia vltima syllaba indifferens est; sed erit pæon primus antè eunte longa. Choreus præeũte spondeo, vel etiam pyrrhichio,
Lib. 9. cap. 4. *approbatur à Fabio. Quod si vltima indifferens, duo erunt spõdei: quos idem negligit. Pyrrhichius post choreum non negligitur. sic enim pæon fiet. Nec amphibrachus etiam respuitur; nec molossus, præsertim breui syllaba præcedente, aut etiam bacchio: qui & ipse claudit, & sibi iungitur, & amat spondeum, & choreum vitat. Hi sunt maximè, qui à præstantissimis authoribus pedes in fine orationis probantur: veruntamen sæpè variandi sunt, ne satietatem similitudine pariant. De initiis pauciora dicemus. A longis incipere optimum: sed & à breuibus bonum. Quæ à breuibus in lõgas procedunt, acres; leniores, quæ à longis in breues descẽdunt.*
Lib. 3. *Aristoteles pæona à longa incipientem laudat; Fabius*
Lib. 9. cap. 4. *creticum; nonnulli dichoreum & molossum; quidam etiam à breuibus anapæstum, pæona quartum, & dochimum. Media nec longa esse debent, quæ hæreant; nec nimis breuia, quæ resultent, vt crepitacula. In vniuersum non parum interest an eodem spiritu verba continuentur, an deferantur. nam multa si subsistant, absurda; si eodem spiritu contineantur, leniora videbuntur: multa etiam continuata non placent. Demum, quia velle pedes in oratione metiri & miserum, & inanis occupationis est; sic summatim præcipitur, vt authores bonos assiduè legamus, ad quorũ dictionis numeros & sonos aures, quæ solæ numerorum indices sunt, assuefiant; & longa imitatione, ac multa exercitatione nostram orationem illorum stylo conformemus.*

De

De Figuris sententiarum.

CAP. XVI.

Videnda modò sunt rerum, verborumq; lumina, quæ figuræ vocantur. Est autem figura, quā Græci dicunt σχῆμα, quidquid est à simplici, atq; in promptu posito loquendi modo poëtice, vel oratorie mutatum. Unde multæ sunt, ac variæ figuræ, neque omnibus eædem. Constat tamen inter omnes figuras vel διανοίας esse, hoc est, sententiarum, vel λέξεως, id est, verborum. Quibus explicandis Fabium sequemur: quo de illis nemo melius aut copiosius scripsit. Quoniam verò cogitatio sermonem antecedit, prius sententiarum figuras describemus, quàm verborum. Sententiarum figuræ quædam sunt ad probandum acriores, quædam aptiores ad mouendum. Sunt autem acriores ad probandum. 1 Lib. 9.

Interrogatio, Græcè ἐρώτημα: quæ inter figuras numeratur, quando communis non est, sed altiorem sensum facit. Ac quādoque alios interrogamus, vt, Quid enim tuus ille Tubero districtus in acie Pharsalica gladius agebat? quandoque nos ipsos, vt, Quid igitur faciam? adeámne ad eum? Aquila Romanus ἐρώτημα esse putat, cùm ad interrogatum vna voce, πῦσμα, cùm pluribus respondemus. Cic. Pro Ligario. In Andria Terentij.

Responsio est, cùm aliud interroganti ad aliud occurrimus, quia sit vtilius, ita vt confessionem precedat defensio. Veluti si quis me interroget, Vapulasti? respōdeam, innocens. Sed & quandoque alium interrogantem fingimus, & nos ipsi respondemus; quandoque alium interrogamus, & non expectato responso illi occurrimus; quandoque nos ipsos interrogamus, & nobis ipsi respondemus.

Præsumptio, siue anticipatio, Græcè πρόληψις, est, cùm id, quod obiici potest, occupamus. Vulpianus ἀντίπτωτον videtur vocare, quãdo scimus aliquid nobis obiiciendum tanquam dictum à nobis absurdum, & nos Lib. 9. cap. 2. *ipsos latenter emendamus. Fabius Præsumptionis multas species facit: quarum prima est Præmonitio: qualis est illa Ciceronis contra Qu. Cælium, quòd ad accusandum descendat, qui semper reos defenderat. Confessio, vt Cicero Rabirium Posthumum sua quoque sententia reprehendendum fatetur, quòd pecuniam regi crediderit. Prædictio, vt, Dicam enim non augendi criminis gratia. Emendatio, vt, Rogo ignoscatis mihi, si longius sum euectus. Præparatio, cùm pluribus verbis vel quare facturi quid simus, vel quare fecerimus dici solet. Correctio, cùm id quod dictum est, tollitur; pro quo ponitur quod videtur vtilius: vt, Quanquam illa nõ pœ-* Pro Cluent. *na, sed sceleris prohibitio fuit. Dubitatio, διαπόρησις, cùm simulamus quid dicẽdũ sit: vt, Quò me vertã nescio. negem fuisse infamiam iudicij corrupti? Est tamen dubitatio διανοίας, cùm de re: λέξεως verò, cùm de verbo ambigimus. Communicatio, cùm aut aduersarios consulimus, aut cum iudicibus deliberamus: vt, Quid suadetis? vos interrogo: quid tandem fieri oportuit? Cui similis & penè eadem est Permissio, cùm quid aduersariis, aut iudicibus æstimandum relinquimus. At quæ ad mouendos affectus valent, simulatione maximè cõstant, cùm vel irasci, vel timere, vel gaudere, vel quid* Philipp. 2. *aliud fingimus: cuiusmodi sunt illa, Liberatus sum. respiraui, bene habet: quæ vt in figuris habeantur, non vera, sed ficta & arte composita esse debent.*

Exclamatio, προαναφώνησις, est, quæ conficit alicuius Pro Milo. *doloris, indignationisq; significantiam: vt, O tempora, ô mores, ô me miserum. Atqui Acclamatio, quæ ἐπιφώ-*

nosis dicitur, longè ab hac differt. Nam est post rem narratam vel probatam acclamatio: vt,

Tantæ molis erat Romanam condere gentem! Æneid. 1.

Immo omne breuiter & acutè dictum ἐπιφώνημα, siue ἐπιφώνησιν vocant.

Licentia, παῤῥησία, & assimulationem habet, & acrimoniam; cùm apud eos quos vereri, aut metuere debemus, tamē aliquid pro nostro iure dicimus, quod illis placiturum scimus; vt Cicero, Quid autem aliud egimus Tubero, nisi vt quod hic potest, nos possemus? Pro Ligario.

Personæ fictio, προσωποποιία, & variat orationem, & excitat auditorem. Fit quoties personam hominis procul absentis, aut iam olim defuncti loquētem facimus. Sic apud Ciceronem Ap. Clodius loquens inducitur. Προσωπογραφία verò latius patet, quæ & pestis, & famæ, & inuidiæ imaginem describit. Illa proculdubio audacior, quæ mutis etiam sermonem concedit.

Auersus sermo à iudice, ἀποστροφή, mirè etiam mouet: vt, Quid enim tuus ille Tubero in acie Pharsalica gladius agebat? Pro Ligario.

Euidentia, ὑποτύπωσις, vel (vt author ad Herenniū ait) demonstratio magnam habet energiam, quæ ita rē exprimit verbis, vt cerni, non audiri videatur. Hanc figuram puto χαρακτηρισμὸν à Rutilio vocari, ab Aquila διατύπωσιν: vt, Ipse inflammatus scelere ac furore in forum venit; ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat. Ad hanc pertinent rerum, temporum, locorum, personarum descriptiones. Lib. 4. In Verr. 7.

Imitatio aut morum, aut dictorum est, Græcè μίμησις. Dictorum apud Terentium, At ego nesciebā quorsum tu ires: Paruula hinc est abrepta, eduxit mater pro sua, soror dicta est; cupio abducere, vt reddam suis. Morum verò imitatio ἠθοποιία propriùs dicitur, eui- In Andria.

Lib.4. *dentiæ vicina, quam author ad Herennium videtur appellare notationem, cùm alicuius natura certis signis describitur.*

Dissimulatio, εἰρωνεία, sensum habet sermoni per illusionem contrarium; vt, Scilicet id superis labor est: & , Id populus curat scilicet. Cuius species plures: ἀπόφασις, negatio, vt, Quid ego rapinas, iniurias, furta istius proferam? Credo appellari ab authore ad Herennium Occupationem, quam fieri putat, cùm dicimus nos præterire, aut non scire, aut nolle dicere id, quod tũc maximè dicimus. Atque hæc est, quam παράλειψιν quidam vocant, Confessio, sed quæ nihil est nocitura, vt, Habes igitur Tubero, quod accusatori maximè optandum est, confitentem reum. Concessio, cùm rem aliquã vel iniquam videmur causæ fiducia pati; vt, Metu virgarum Nauarchus nobilissimæ ciuitatis pretio se redemit. Consensio, vt pro Cluentio assentitur iudicium esse corruptum. Sed & confiteri, & concedere, & consentiri ita debemus, vt res sit futura pro nobis.

Æneid.lib.4.
In Andria.
Lib.4.
Pro Ligario.

Reticentia, aut obticentia, aut interruptio, ἀποσιώπησις, subticet id, quod aut ignoratur, aut certè pluribus explicandum est: vt Quem ego? si sensero. Verùm ἔκλειψις, quam Fabius videtur μείωσιν vocare, neque figura est; & verbum subticet, quod intelligi facilè potest: vt Haud mora. subticetur verbum est.

In Andria.
Lib.8. cap.3.

Præcisio, quæ à quibusdam παράλειψις dicitur, reticentiæ valde similis est, cùm dictis quibusdam relinquũ, quod cœptum est dici, relinquitur auditori; vt, Quid plura? ipsum adolescentem dicere audistis. Sic ante legitimum finem præcisa est illa oratio: Nimis vrgeo. Commoueri videtur adolescens.

Pro Ligario.

Ἔμφασις altiorem habet intellectum, & inter figuras numeratur, cùm ex aliquo dicto latẽs aliquid eruitur,

tur, vt Dido de matrimonio dum queritur, huc eius erupit affectus, vt sine thalamis vitam non hominum esse putet, sed ferarum, Æneid. 4.

Non licuit thalami expertẽ sine crimine vitã

Degere more feræ? *Sanè in his maior quedã significatio subest. Sed plures esse, & nouas adhuc alias fieri posse figuras sententiarum nulli dubium est, cùm tota sæpè oratio sit sententiosè composita. Nos tantùm eas decerpsimus, quæ & clarissimæ sunt, & dicendo maximè nitent.*

De Figuris verborum.

CAP. XVII.

Figuræ verborum partim ad loquẽdi rationem pertinent, partim ad collocationem. Loquendi ratio Grammaticorum est propria, collocatio Oratorum. Huiusmodi figurarum ex Fabij sententia tria sunt genera: vnum, quod adiectione; alterum, quod detractione; tertium quod aut similitudine vocum, aut paribus, aut contrariis fit. Et adiectionis figuræ sunt: Lib. 9. cap. 3.

Geminatio, ἐπίζευξις, *quæ eandem dictionẽ sine medio geminat, vt Occidi occidi non Sp. Melium.* Pro Milone.

Repetitio cùm medio repetit, Viuis & viuis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Est etiã repetitio authori ad Herennium, cùm ab eodem verbo plura acriter & instanter incipiunt. Sed Fabio repetitio est, cùm idem verbum in fine repetitur, quam conuersionem vocat. Complexio & initia inter se eadem, & fines eosdẽ habet: vt, Quis eos postulauit? Appius. quis produxit? Appius. In Catil. Lib. 4. Pro Mil.

Ἐπανάληψις *idem verbũ habet in principio clausulæ, & fine; vt, Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa. At* ἀναδίπλωσις *repetit in principio alterius clausulæ vltimam dictionem* Æneid. 1.

Æneid.10. *nem præcedentis: vt,* — Sequitur pulcherrimus Astur, Astur equo fidens. *Verùm vt vltima primis, & prima vltimis; sic media primis, & vltimis sæpè respondent; & vtrinque sæpius iterantur.*

Πολύπτωτον *est oratio casuum varietate distincta, vt Pater hic tuus? patrem hunc appellas? patris tu huius filius es? Sed etiam generibus ista iteratio distinguitur, vt Magnus est labor dicendi, magna res est.*

Ἐπάνοδος *ea quæ proposita sunt, diuidit: vt,*

Æneid.2. Iphitus & Pelias mecum: quorũ Iphitus æuo
Iam grauior, Pelias & vulnere tardus Vlyssei.

Pro Cluētio. Μεταβολή *est rerum coniuncta diuersitas: vt, Quod autem tempus veneni dandi? illo die? in illa frequentia? per quem porrò datum? vnde sumptum? quæ porro interceptio poculi? cur non de integro autem datũ? Huic contraria est ea figura, quæ non congerit, sed dispergit.*

Lib.9. cap.3. *Vnde à Cicerone dissipata vocari, credit Fabius: vt,*

Georg.1. Hîc segetes, illic veniunt felicius vuæ,
Arborei fœtus alibi.

Πλοκὴ *figurarum quædam est commissura, vt apud Ciceronem: Vestrum iam hic factum deprehēditur P. C. nō meum: ac pulcherrimum quidem factum; verùm, vt dixi, non meum, sed vestrum. Vbi & primo verbo lōgo pòst interuallo redditum est vltimum, & media primis, & mediis vltima congruunt.*

Κοινωνία, *vel, vt quibusdam placet,* μετωνυμία, *dicta à quibusdam disiunctio, verba idem significantia disiungit; aut per initia, vt, Dederim periculis omnibus, obtulerim insidiis, obiecerim inuidiæ; aut per fines, vt, Vos enim statuistis, vos sententiam dixistis, vos indicastis. Cōguntur interdũ idē significātia, vt Abiit,*

In Catil. 2. *excessit, erupit, euasit; interdũ diuersa; sæpe etiã idē &*

In Catil. 2. *diuersum significātia: vt, Quæro ab inimicis sint ne hæc*

inue-

inuestigata, cōperta, patefacta, sublata, deleta, extincta p me? Inuestigata, cōperta, patefacta idē ostēdūt: sublata, deleta, extincta idē etiā ostēdūt, sed nō simile priori.

Gradatio, κλίμαξ, quæ dicta sunt repetit, & priusquā ad aliud descendat, in prioribus insistit: vt Africano virtutem industria; virtus gloriam, gloria æmulos comparauit. Quæ rarior esse debet ideò, quia apertiorem habet artem. Ad Heren. lib. 4.

Πολυσύνδετον *orationem coniunctionibus copulat vel iisdē, vel diuersis: vt,* Armaq., Amyclæumq. canem, Cressamque pharetram. *At detractionis figuræ tum breuitatis, tum nouitatis causa fiunt. Earum prima superiori contraria* ἀσύνδετον, *siue* διάλυσις, *aut dissolutio dicitur, vt, Inuestigata, comperta, patefacta. Quod genus quidam* βραχυλογίαν *appellant. apta sanè figura, cùm quid instantius dicitur.* Georg. 3. In Catil. 2.

Συνεκδοχὴ *nobis hoc loco est, cùm subtractū verbum aliquod satis ex ceteris intelligitur, vt Videtur autem mihi Iudices, qui sententias pro illo tulerunt, subintellige ignouisse. Hanc figuram Aquila* ἔκλειψιν *videtur appellasse. nec inter figuras censetur, ni figuratè verbū subtrahatur; videlicet, quando ex detractione cōmotior fit celeritate enunciatio. Atqui Aposiopesim inter figuras sententiarum collocauimus, quæ quid taceat vel incertum est, vel certè longiori sermone explicandum.*

Συνεζευγμένον *plures sentētias ad vnum verbum reducit. quod verbum si in principio clausulæ est,* προζεῦγμα: *si in medio,* μεσοζεῦγμα: *si in fine,* ὑποζεῦγμα *dicitur. Author ad Heren. vocat cōiunctionem, cùm verbum in medio est; cùm in principio aut fine, adiunctionem. Sed hæc adeò sunt vulgaria, vt figuræ propriè dici nequeant. Tunc autem figura fit, cùm diuersa sermonis forma coniungitur: vt illud,* Lib. 4.

Æneid. 3. —— Sociis tunc arma capessant
Lib. 4. Edico, & dira bellum cum gente gerendum.

Διεζευγμένον, quam author ad Heren. disiunctionem vocat, vnicuiq; parti suum verbum attribuit, precedēti contraria; vt, Formæ dignitas aut morbo deflorescit, aut vetustate extinguitur. Quæ quoniam ad festiuitatem adhibetur, rarius vsurpanda est, ne satietatem afferat.

Συνοικείωσις res duas diuersas coniungit, vt, Tam deest auaro quod habet, quàm quod non habet.

Παραδιαστολή, à quibusdam dicta distinctio, similia discernit; vt cùm aliquis pro astuto sapiens, pro confidente fortis appellatur. Quod quia ex definitione pen- Lib. 9. cap. 3. *det, Fabius an sit figura meritò dubitat. Cui contraria est ea, quæ ex vicinia transit ad diuersa, vel similia: vt,* Horat. in Arte poët. *Breuis esse laboro; Obscurus fio, &c. Ex tertio genere est παρονομασία, vel, vt quibusdam placet, παρωνυμία, quæ similitudine vocum delectat. Fit, secundum Rutilium, literæ, vel syllabæ aut adiectione, aut detractione, aut commutatione: vt, Cum omnibus hominibus, tum maximè maximo cuiq; incōstantia turpitudini est. &, Nemo potest dare alteri matrimonium, nisi quem pe-* Lib. 9. cap. 3. *nes sit patrimonium. Fabius ἀντανάκλασιν vocat eiusdē* Lib. 4. *verbi contrariam significationem. Author ad Heren.* In Epigram. lib. 4. *traductionem nominat, videlicet alterius intellectus ad alterum, vt apud Ouidium, Cur ego non dicam Furia te furiam? Elegans est figura cùm rei proprietatem di-* In Catil. 1. *stinguit, vt, Reip. pestem paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse: sed melior, cùm figura iucunda, tum etiam sensu valet, vt, Emit mortalitate immortalitatem.*

Similium ratio quadruplex, πάρισον, quod nescio quis Lib. 9. cap. 3. *æquamen vocat. Fit (vt tradit Fabius) cùm verbo ver-*

bum aut simile, aut non valdè dissimile quæritur, aut cùm par est syllabis extremis consonans. Prioris exemplum: Si in hac calamitosa fama, quasi in aliqua perniciosissima flamma. Posterioris, Non verbis, sed armis. Videtur mihi Rutilius hoc genus παρόμοιον *vocare.* Pro Cluent.

Ἰσόκωλον, *quod fit è mēbris æqualibus: vnde exæquamen quidam vocat; Cornificius Compar: vt, Si quantū in agro locisq; desertis audacia potest, tantum in foro atque iudiciis impudentia valeret. Debent autē membra non syllabarum numero, sed temporum spatiis esse æqualia. Porrò membrum, & articulus inter figuras referri non debent.* Ad Heren. Lib. 4.

Ὁμοιοτέλευτον, *hoc est, similiter desinens, similem finem duarum, vel plurium sentētiarum habet; vt, Non modò ad salutem eius extinguendam, sed etiam gloriā per tales viros infringendam. Fit etiam singulis verbis, Abiit, excessit, erupit, euasit.* Pro Mil. In Catil. 2.

Ὁμοιόπτωτον, *id est, similiter cadens. Nam est tantum similis casus, vt, Amisso nuper infelicis aulæ si nō præsidio inter pericula, tamē solatio vitæ inter aduersa.*

Ἀντίθετον, *contrarium, contrapositum, contentio, est, cùm vel verba verbis opponuntur, vt Vicit pudorem libido, timorem audacia; vel sententiæ sententiis, vt Dominetur in concionibus, iaceat in iudiciis: Sæpè non opponuntur contraria, sed singula ad singula referuntur; vt, Quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus. Fit etiam sæpè* ἀντίθετον *assumpta commutatione. Et Cornificius* Ἀντιμετάβολὴν *vocat, quæ verba declinata repetit, vt, Non vt edam viuo, sed vt viuam edo. Collegi breuiter sententiarum, verborumq; præcipuas clarissimasq; figuras: quæ (nam interdum fit, vt nonnullæ sententiarum figuræ inter verborum exornationes à qui-* Pro Cluent. Ibid. Pro Milo. Ad Heren. Lib. 4.

busdam enumerentur, nonnulla etiam verborum contrà in sententiarũ referantur) inter se ita distinguũtur, vt sententiarum sint, cùm in sensu ponuntur; cùm in verbis, verborum.

De Tropis. CAP. XVIII.

PRaeterea tropis maiorem in modum illustratur oratio: quos pleriq; cum figuris confundunt, nos cum
Lib.9.cap.1. Fabio distinguimus ob id maximè, quòd tropi sermonẽ ab vno intellectu in alterũ vertũt, figuræ nõ vertũt, sed à vulgari cõsuetudine loquẽdi recedũt. Est enim tropus vel verbi, vel sermonis immutatio aut significatio-
Lib.8.cap.6. nis, aut decoris gratia. Tropi Fabio sunt decẽ & tres.

Μεταφορὰ, *translatio, verbum à genuina & propria significatione transfert ad non propriam vel necessitatis siue inopiæ gratia, vt. gemma dicitur in vitibus, quoniam proprium deest; vel cùm proprio trãslatum est melius, nempè cùm plus habet significantiæ, vt incensus ira, inflammatus cupiditate; vel etiam decoris, vt eloquentiæ flumen, concionum procellæ. Sumuntur autem metaphoræ tum ab animali ad animal, vt gannire de homine, cùm proprium vulpis sit; tum ab inanimato ad inanimatum, vt scatere siluas, cùm proprium sit fontium; tum ab inanimato ad animal, vt viridis ætas; tum contrà ab animato ad inanimatum, vt põtem indignatur Araxis. nam indignari affectus est animati. Ac quædam metaphoræ* ἀντολυθαὶ *sunt, id est, reciprocæ, seu communes, vt Auriga pro gubernatore, & gubernator pro auriga; quædam* ἀναντολυθαὶ, *quæ nõ conuertũtur, vt vertex pro cacumine, non autem cacumen pro vertice dicitur. Debent autem metaphoræ similes esse, cùm per similitudinem transferantur; neque nimio re maiores, aut minores, neque humiles, neque sordidæ,*

neque

neque duræ, neque frequentiores, quæ aut tædium pariant, aut obscurent orationem abeuntes in ænigmata. Semper tamen in translationibus poëtæ liberiores sunt, Oratores verecundiores.

Συνεκδοχὴ *intellectio, cùm aliud ex alio intelligimus, & cùm plus minúsue pronuntiatur. Fit, cùm aut de vno plures intelligimus, vt Romanus prœlio victor, pro Romani: & contrà; Nos imposuimus, pro ego; aut ex parte totum, vt puppis pro naui, & contrà, pontus pro vnda; aut ex specie genus, vt Acheloia pocula, pro quouis fluuio; & sæpe contrà; aut ex præcedentibus sequentia, vt subdit equo calcaria, hoc est, currit, & contrà; aut ex materia rem confectam, vt ferrum pro gladio. In summa, cùm aliud ex alio quocunque modo intelligimus, Synecdoche est, Sic vixerũt, pro mortui sunt. Sed & ex signo rem signatam intelligimus, vt, Non illæ te nuptiales tibiæ eius matrimonij admonebant? Omnia tamen Poëtis liberiora.* Ad Heren. Lib. 4.

Μετωνυμία, *quam rhetores teste Cicerone* ὑπαλλαγὴν *appellant, Latinorum aliqui Transmutationem, Denominationem, vel Transnominationem. fit his modis, cùm inuentor pro re inuenta, & qui præsidet, pro re subiecta ponitur, vt Bacchus pro vino, Neptunus pro mari; vel continens pro re contenta, vt bene moratæ vrbes, pro ciues bene morati; vel contrà, vt vina coronãt, hoc est crateras; vel dominus rei pro re possessa, vt iam proximus ardet Vcalegon; vel effectum pro efficiente, vt pallida mors; ac contrà, vt melior remis; quãdoq; etiam dux pro subdito ponitur, vt decẽ millia hominũ ab Annibale cæsa sunt; quandoq; etiã author pro opere, vt lego Virgiliũ. Simile his cùm sacrilegiũ deprehensum dicimus, non sacrilegum; & cùm ea, quæ rei tribuuntur, ad personam, & quæ personæ sunt, referuntur ad rem.* In Orat.

Ἀντο-

Ἀντονομασία pronominatio, seu permutatio nominis aliquid pro nomine ponit. Fit per epitheton siue appositum, vt Pelides pro Achille. Nam detracto Achille appositum valet pro nomine; fit quoque ex his, quæ in vno quoque sunt præcipua, vt Diuûm pater; atque hominum rex, hoc est, Iuppiter: fit etiam ex factis, quibus persona signatur, vt adulter pro Paride, luxuriosus pro Sardanapalo. Huiusmodi sunt quæ per excellẽtiam dicuntur, vt Poëta pro Virgilio, Orator pro Cicerone.

Ὀνοματοποιΐα nominis confictio, seu nominatio, Græcis inter maximas habita virtutes, nobis vix permittitur. Fit vel imitationis, vel significationis gratia. Cùm enim res nomen proprium non habet, aut non satis idoneum, vocis confusæ nomen effingimus ad imitandum sonum; vt murmur aquæ, rugitus leonum, sibilus serpẽtis, atque his similia. Huc quidam arbitrantur verborum nouorum ex analogia desumptam deriuationem pertinere, vt Syllaturire, pro Syllæ mores imitari, quemadmodum proscripturire dicimus. sic Græcari, Philosophari, Poëtari. verba noua effecta sunt per similitudinem.

Κατάχρησις, Abusio, non habentibus nomen suum accommodat. Nam cùm propria deficiunt, alienis abutimur perinde ac propriis; & nisi sumeremus extrinsecus, vocabula non haberemus, vt Piscina, in qua lauamus, abusiuè dicitur, cùm pisces non insint; Pyxides abusiuè, pro quouis vasculo, cùm propriè vascula sint ex pyxo confecta. Sic vires hominis breues, abusiuè. Nam paruæ erat dicendum. Verùm audaciores poëtæ, qui etiam vbi proprium est nomen, vtuntur externo, vt ædificant equum, pro conficiunt, cùm illud proprium sit adiũ. Differunt tamẽ Translatio & Abusio per Fa-
Lib.8.cap.6. *bium, quòd hæc vbi proprium non fuit, illa vbi fuit; hæc*

quia

quia non habet proprium, extraneo id demonstrat nomine, quod suo appellari non potest; illa vocabulū, quod habet, largitur.

Μετάληψις *trāssumptio, transsumptiua, translatiuā, seu trāspositiua, est, cùm aliqua dictio aliud à sua propria significatione ex his, quæ præcesserunt, denotat: vt, Post aliquot mea regna videns mirabor aristas, hoc est annos. Nam per aristas segetes, per segetes æstates, per æstates annos intelligimus: ita ab vno ad aliud gradatio facta est. Græcis frequentior; nobis, nisi in carmine, concessa non est. Atq; hi quidem tropi significandi gratia fiunt; ornandi verò* Virg.Eclog.1

Ἐπίθετον, *appositum, adiectiuum, vel sequens, quod quia plerunq; antonomasiæ pars est, coniunctione eius fit tropus. Poëtis epitheta liberiora sunt, quibus satis est si conueniant; oratoribus, nisi plus significent, redundant. Efficit autem plus epitheton, quando sine eo id quod dicitur minus est: vt, O incredibilem audaciam! O scelus abominandum! vbi sine epithetis quæ dicuntur minora viderentur. Insuper ornatur epitheton translatione, vt effrenatā cupiditas: & aliis tropis; vt, pallida mors, tristis egestas. Qui sequuntur tropi non verbi sunt, sed sermonis.*

Ἀλληγορία, *inuersio, est ferè perpetua metaphora. Metaphora enim vno verbo, allegoria sermone fit: atque aliud verbis, aliud sensu significat: vt, O nauis referent in mare te noui Fluctus; de bellis ciuilibus loquitur pacem suadens & portum: noua bella ciuilia, nouos fluctus esse fugiendos monet. Sed quandoque apertis mixta est, vt, Procellæ in fluctibus concionum. mixta est allegoria illis dumtaxat fluctibus concionum. Cauendum autem ne obscurior sit; alioquin fiet ænigma.* Hora Od.14 Lib.1.

Εἰρωνεία *illusio tropus breuior est, nam in duobus est*

verbis;

verbis; & est apertior; & quandoq; aliud dicit, ac sentit, non tamen aliud simulat: vt, O praeclaram sapientiam, & egregiam virtutem! Ceterùm quae figura est εἰρωνεία, totius volũtatis fictio est, apparẽs magis, quàm confessa. Itaq; in tropo verba sunt verbis diuersa, in figura sensus sermoni: in vtroq; tamen contrariũ ei, quod dicitur, intelligendũ est. Atqui vt allegoriàm cõtinua metaphora, sic ironiã figuram troporũ facit contextus. Quin immò illusionem nonnulli allegoriae speciem esse existimãt: eiq; subsequentes species adiiciunt, Ἀντίφρασιν, quae contrariam verbi absq; irrisione significationẽ habet, vt Lucius, quia minime luceat: Σαρκασμὸν, qui plenam odio, & hostilem derisionem continet, vt Pyrrhus ad Priamum:

Æneid. 2. —Referes ergo hæc, & nuntius ibis
Pelidæ genitori: illi mea tristia fata,
Degeneremq. Neoptolemũ narrare meméto.

Ἀστεισμὸν, hoc est, facetam satis vrbanitatem absque rusticitate: vt,

Virg. Eclog. 3 Qui Bauiũ non odit, amet tua carmina Mæui.

Παροιμίαν, hoc est, rebus accõmodatum, & temporibus prouerbium, vt Lupus est in fabula.

Περίφρασις, circumlocutio, vel circuitio, explicat id pluribus, quod vno verbo, aut certè paucioribus dici potest. Ac saepè necessaria est, vt deformia operiantur: sed ornat saepius, Poëtis liberior, sed oratoribus non rara. Maximè autem fit ex etymologia, vt cùm pro parasito homo ventri deditus & cibo dicitur: & ex finitione, vt ars bene dicendi pro rhetorica: & ex notatione, cùm aliquid eorum, quae accidere solent, indicio significatur, vt pro salsamentario, qui cubito se emungit. Quòd si vitiosa circuitio fuerit, fiet perissologia, nempe verborum sine vlla vi superuacua adiectio: vt, Viuat rex, & non moriatur.

moriatur. Numeratur autem inter tropos periphrasis, quia vtitur pluribus pro vno.

Ὑπέρβατον, verbi transgressio, si duobus verbis fit, dicitur Anastrophe, vt mecum, tecum, secum, propter euphoniam. Decoris autẽ gratia fit hyperbaton, cùm verbum longius contrahitur, vt sermo numerosus efficiatur: vt, Animaduerti iudices omnem accusatoris orationem in duas diuisam esse partes. Pro Cluent. *Quod si obscura fuerit, in σύγχυσιν vitiosam euadet. Tmesim verò, quæ dictionis vel simplicis, vel compositæ intercisio est, vt, Septem subiecta trioni, & Hac Troiana tenus, Oratores non recipiunt, vsurpant Poëtæ. Nonnulli hyperbato subiiciunt parenthesim, quæ est sententia diuersa in clausula interposita cunctis nota; & hysteron proteron, quæ postponit ea, quæ antè locanda essent, vt, Moriamur, & in media arma ruamus.* Æneid. 2.

Ὑπερβολὴ est ementiens superiectio, nimirum oratio fidem excedens, augendi vel minuendi causa: vt

—geminique minantur Æneid. 1.
In cælum scopuli. *& rursum*
—littora curuæ Æneid. 6.
Prætexunt puppes. *Sed cauendum ne sit vltra modum. Nam incidet in κακοζηλίαν: quo vitio maius esse nullum potest.*

De Oratione apta, & tribus dicendi generibus.

CAP. XVIIII.

R*Estat quarta, & vltima virtus orationis, vt apta sit: absq; qua omnis eloquentia irridetur. Est enim eloquentiæ fundamentum sapientia, quæ quid deceat in oratione videt. πρέπον hoc Græci, decorum* Cicero *appellat.* In Orat. *Quamobrem tria dicendi genera fecerunt humile, graue, mediocre; quæ materiæ subtili, sublimi, me-*

dia

dia accommodantur. Hæc dicendi genera Græci χαρακτῆρας vocant, & submissum siue attenuatum ἰσχνόν, grande & robustum ἁδρὸν, tertium μέσον duobus interiectum: quod quidam floridum, ille etiam ἀνθηρὸν dicunt. Grauis, siue uberis propria est dignitas, atq; amplitudo; tenuis, siue gracilis venustas & subtilitas; temperatum in medio est, vtriusque modi particeps, vel potius expers, sicut in Oratore Cicero ait. Quæ genera
Lib. 12. ca. 10 *Fabius in Homero animaduertit: apud quem Menelaus pauca sed acutè, Vlysses magnificè & copiosè, Nestor suauiter & temperatè dicit. Itaq; submissus Orator dum dicet, vtetur acutis crebrisq; sententiis, Latinè & dilucidè loquetur: elegans quidem erit, sed in figuris parcior, & in trāslationibus verecūdior, eas dumtaxat vsurpans, quæ vel vulgari sermoni communes sunt. Nullam elaboratam concinnitatem, nullum delectationis aucupium demonstrabit, verba verbis coagmentare non studebit, nec curiosè numeros in oratione, nec verborum & rerum flores sectabitur. Temperatus verò plenior humili, submissior erit copioso; sed cui lepores omnes orationis, & rerum verborumq; lumina conueniunt. Translationibus crebrior, figuris iucūdior, egressionibus amœnus, compositione aptus, sententiis dulcis, lenior tamen, vt amnis lucidus quidam (sicut*
Lib. 12. ca. 10 *loquitur Fabius) & virentibus vtrinque syluis inumbratus. Ab hoc latè eruditeq; disputationes explicabuntur, & loci communes sine contentione dicētur. At grauis ponet verba grandia & translata, & superlata, & idem significantia, & contentione iterata, & literis immutata, & ad nomen adiuncta, atq; duplicata, & relata, & paria, & conclusa similiter, & eodem pacto cadentia, & quæ ab ipsa actione rerum, atq; imitatione minimè abhorrent. Amplificationibus extollet orationem,*

tionem, & vi superlationum quoq; eriget. Vnde & rep. faciet loquentem, & mortuos excitabit, & aceruatim multa frequentans vna complexione denunciet. Verba coagmentabit, & numeros graues, vna cum figuris tum verborum, tum sententiarum illustribus adhibebit; & grauiter copioseq; dicens iram, misericordiam, atq; affectus omnes inspirabit. Habes orationis quasi formas tres: inter quas medias alias etiam esse constitutas Fabius ait; sed quæ facilè ex principalibus illis deprehenduntur. Orator autem iudicabit quam speciem sequi deceat: nec pro causa modò videbit, sed etiam pro partibus causæ, quod genus orationis res exigat: Siquidem docendo subtiliter, delectando temperatè, mouendo grauiter & ornatè dicendum est; & in omni genere quid probabile sit inspiciendum. Lib. 12. ca. 10

IO. ANTONII VIPERANI,

DE COMPONENDA ORATIONE.

LIB. II.

De quatuor partibus Orationis. CAP. I.

DE rebus, & verbis pro instituti nostri ratione satis primo libro dictum est; hoc autem altero nobis exponẽda sunt partes eæ, quæ orationis corpus quasi membra conficiunt. Ac Cicero ad fidem, & motum, In Part. *quos fines Oratori propositos in dicẽdo existimat, quatuor partes orationis constituit, narrationem & cõfirmationem,*

mationem, quæ ad rem docendam, principium & perorationem, quæ ad impellendos animos valent. At Ari-
Lib. 3. ca. 13. *stoteles earum duas necessarias esse ait, quæ nimirum ad rem docẽdam instituuntur; reliquas nõ necessarias, quòd stare causa sine illis potest. Nec narrationem vt ceteri, sed propositionem facit partem orationis: quoniã alij narrationem ita descripserunt, vt tantùm iudiciali generi conueniret; ipse verò propositioni ampliorem significationem dedit, vt totius probandæ rei expositio esset atq; complexio: quæ & iudicij narrationem, & deliberationis, & laudationis quasi problemata quædam contineret. Quidam diuisionem & confutationem his*
Ad Heren. 1. *quatuor partibus orationis adiiciunt; nonnulli etiam*
De Inuent. 1. De Orat. 2. *egressionem. Verùm diuisio, cuius partes duas faciunt propositionem & diuisionem, ad confirmationẽ per Fa-*
Fab. lib. 3. cap. 9. *bium refertur: quoniam propositio est, inquit ille, probationis initium: atq; vt propositio, assumptio, & conclusio syllogismum constant, quem rhetores ratiocinationẽ appellant, ita causæ propositio, assertio, atq; conclusio vniuersalem totius causæ confirmationem efficiũt. Eadem quoq; ratione distributio, quæ sinu suo claudit enumerationem propositionum, ad confirmationem pertinet. Qui enim ordine proponit quæ dicturus est, is sua colligit, vt deinde planius explicet. Mihi verò Aristoteles hac in re bene sensisse videtur. Semper enim id, quod argumentatione colligendum est, ante proponi debet: ac quod syllogismo concluditur, extra syllogismum proponitur. Fit autem postea inter argumentandum syllogismi pars. Vt si quæratur an* Clodius *iure possit interfici, fiet argumentando id syllogismi conclusio, sic, Omnis insidiator iure potest interfici, Clodius est insidiator, ergo iure potest interfici. Non igitur propositio proponens id, quod concludendum est, probationis pars*

est:

est: atq; imprudenter quidquam conficitur, quod ante quæsitum non fuerit. Rectè igitur Aristoteles propositionem à confirmatione separat, & partem facit orationis necessariam: cùm in omnibus causarum generibus vsui sit, non item narratio. Quin immo narratio, quæ iudicialis generis propria est, ad propositionem meritò refertur: quoniam vbi narrata res est, quid veniat in quæstionem elicitur. Sed de confutatione dubitandum etiam est. nam cùm possit ad probationem reuocari, reuoceturq́; ab Aristotele & Cicerone, qui probationem, Lib. 1. cap. 13 *quam alter πίςιν, alter interdum confirmationem vo-* In Partit. *cat vsus speciei nomine loco generis; in confirmationem & confutationem diuiserunt; tamen Fabius de genere* Lib. 3. cap. 11 *iudiciali loquens, cuius propriam esse confutationē Aristoteles putat, inter se disiungit: quoniam quæ natura & officio inter se discreta sunt, coniungere non vult. altera enim astruit, altera destruit. reprehenditq́; Ari-* Lib. 5. cap. 1. *stotelem, quòd coniunxerit. Sed & ipsemet postea ad probationem, confutationem & confirmationem reducit, motus fortè illis verbis Aristotelis, τὰ γὰρ πρὸς τὸν ἀντιδικὸν τῶν πίςεων ἐςί. Equidem (vt Ciceronis verbis* De Orat. 2. *vtar) quia neque reprehendi, quæ contra dicuntur, possunt, nisi tua confirmes, neque hæc confirmari, nisi illa reprehendas; idcirco hæc & natura, & vtilitate, & tractatione coniuncta sunt. Quamobrem confirmatio & confutatio partes sunt probationis. Egressio verò ei parti orationis subiicitur è qua egreditur; cùm egredi vbique possimus: alioquin etiā exempla, similitudines, amplificationes per se ipsæ partē aliquā orationis efficerēt.*

De Exordio. CAP. II.

QVod nos exordium, siue principium vocamus, Græci melius Quinctiliani sententia προοίμιον Lib. 4. cap. 1. *dicunt.*

dicunt. Nam Latinum nomen initium cuiusq. rei significat; Græcum autem vocabulum non ipsum initiũ, sed ad rem ipsam apparatum quendam notat. Atqui exordium non rei principium, sed quasi via quadam ad rem est. quandoquidem munitionem, & ad causam aditum (vt inquit Cicero) habere debet. Vnde Fabius προοίμιον à πρὸ, Latinè ante, & οἴμου, hoc est, via dictum existimat; vel ἀπὸ τῆς οἴμης, hoc est, à cantilena. Nam quemadmodum citharœdi pauca illa, quæ ante legitimum certamen emerendi fauoris gratia inchoant, προοίμιον, (vt docet Aristoteles) vocant; sic etiam ea, quæ Oratores, priusquam causam attingant, ad conciliãdos sibi animos audientium præloquuntur, eadem appellatione rhetores signant. Est autem exordium (vt Plato definit, & Platonem sequuti rhetores) orationis pars, quæ auditoris animum conuenienter comparat ad reliquam dictionem. Causa enim principij hæc est, vt auditorem præparemus, quo nobis sit in ceteris partibus accommodatior. Præparamus autem, cùm beneuolum, attentum, & docilem reddimus. Quæ licet in aliis partibus seruanda etiam sint, tamen in principiis faciliora sunt; quoniam tunc maximè attentos habemus, & dociles auditores, cùm omnia expectant. Sunt etiam (vt Fabius ait) magis necessaria: nam per ea in animũ iudicis, vt procedere vltra possimus, admittimur. Quare beneuolentia, docilitas, & attentio licet in aliis quoque partibus custodienda sint, potissimè tamen exordij officia sunt. Ducuntur autem à personis & rebus. (vt tradit Cicero in Partitionibus) in quæ nihil est quod non cadat. Sed à persona beneuolentiam vult, à re docilitatem, & attentionem captari.

De Orat. 2. Lib. 4. cap. 1. Lib. 3. cap. 14 De Leg. 4. De Inuent. 1. De Orat. 2. Lib. 4. cap. 1.

De Beneuolentia.

CAP. III.

Verùm etiam beneuolentiam à causa mouemus, sicut Fabius sentit, & idemmet Cicero in rhetoricis. Lib.4.cap.1. Lib. 1. *Personarum ratio triplex. nam aut est nostra, aut aduersarij, aut auditoris. sed in nostra & dicentis, & eius pro quo dicitur, persona intelligitur. eodem quoque pacto in aduersarij personam & eius qui dicit, & eius pro quo dicitur, venit. Taciteq́ Fabius Ciceronem reprehendit, quòd solùm aut ex reo, aut ex aduersario, aut ex re, aut ex his apud quos agitur, sententias in exordiẽdo duci tradiderit; cùm etiam peti ab actore causæ principium soleat.* De Orat.2. *A persona nostra beneuolentia capitur meritis nostris, ac dignitate, aùt aliquo genere virtutis, maximeq́ (vt vult Cicero) liberalitatis, officij, iustitiæ, fidei: atq; in primis amoueatur (vt præcipit Fabius) ambitionis, odij, sordiumq́ suspicio.* In Partit. *Ex persona litigatoris efficiendum, vt is videatur magna & honesta ratione adductus, necessitate etiam coactus. At à persona aduersarij beneuolentia conciliatur contraria in illum inferendo. Potentes inuidia, contemptus humiles, nocentes & turpes odium sequitur. Spectanda verò in vtrisq; ætas, sexus, conditio, & reliqua personæ attributa. Postremò à persona auditoris beneuolentiã comparamus, si coniunctionis causam aliquã, vel spem significemus: & si in nos odium aliquod, aut collatam offensionem tollamus, diminuamusq́ diluendo, extenuando, compensando, deprecando siue depellendo. Primùm autem omnium mores eorum apud quos agitur, perspicere oportet, quibus orationem nostram accommodemus, laudemusq́ illos cum modo, atq; eorum laudes ad nostram causam transferamus: tum ipsis propo-*

namus dignitatem pro honestis, iustitiam pro humilibus, misericordiam pro infelicibus, seueritatem pro læsis. Multa etiam alia præcipiuntur: sed ingeniosi ac prudentis viri est quid in quaq; causa deceat considerare. At à causa beneuolentiam contrahimus, cùm ea quæ in causa pro nobis sunt, in proœmio collocamus, ac pro re vel augemus, vel minuimus, vel amolimur. Maximè verò noster exitus miserabilis, si superati fuerimus, superbus aduersarij, si vicerit, ostendendus est.

De docilitate & attentione.

CAP. IIII.

A *Rebus docilitas petitur, & attentio: quæ sanè inter se coniuncta sunt. Neque enim attentus esse quis potest, si rem non intelligat; neque intelligere, si attentè non audiat. Dociles auditores reddimus, cùm vniuersam causam breui complectimur, ac velut oculis subiicimus vel definiendo, vel diuidendo ordinémue demonstrando. At post narrationem proponimus, & rem ipsam distribuimus? sic est, sed quasi principium ingredientes confirmationis: verùm in exordio si quid proponimus, aut partimur, non id facimus, vt statim de eo argumentemur, sed ne iudicis animus à dicentis proposito alio abducatur. siquidem docilitatis munus est dictionis finem ostendere, ne suspensi auditorum animi huc illucq; vagentur: ideóq; Poëtarum epicorum propositioni quam simillima esse putatur. Quare cùm nota*
Lib. 3. ca. 14. *est causa, aut frequens, aut parua, tunc (si Aristoteli &*
De Orat. 2. *Ciceroni credimus) docilitatis nullus vsus est, sed ab ipsa re exordium sumitur. Vt autem attente audiamus*
In Partit. *(sic enim Cicero tradit) trium rerum aliqua consequemur. Nam aut magna quædam proponemus, aut necessaria, aut coniuncta cum ipsis, apud quos res agitur.*

Ergo

Ergo docilem (inquit Fabius) & ipsa hæc attentio præstat. Nam is maximè docilis est Ciceroni, qui attentissimè est paratus audire. Et cùm docilē velis facere, simul attentum facias oportet. Aduerte tamen hîc, quod notat Agricola, ducenda esse exordia nō ex his, quæ causam confirmāt, aut docent. esset enim confirmatio, non exordium. sed ex his, quæ circa res personásue posita vel fauorem, vel audientis alienationem paritura sunt. Quod si interdum in exordio capita aliqua vel nostræ, vel aduersarij causæ perstringuntur, non tam istud fit, vt causa probetur, quàm vt spes futuræ probationis appareat. Et quoniam exordia diximus à rebus & personis capi, earum adiuncta perspicere oportet, quæ sæpe materiam exordiendi subministrant. Personarum adiuncta sunt (vt docet Fabius) liberi, propinquitates, amicitiæ, regiones, ciuitates, atq. his similia: Rerū verò tempus, locus, habitus, opinio, iudiciorum fama, expectatio vulgi. Itaq. in Partitionibus Cicero monet, si quando tempus ipsum, aut res, aut locus, aut interuentus alicuius, aut interpellatio, aut ab aduersario dictū aliquod, & maximè in perorando dederit occasionē nobis aliquam, vt dicamus aliquid ad tempus aptè, ne derelinquamus. Nunc quando causarum qualitates diuersæ sunt, vniuscuiusq. genus animaduertendum est. Causarum genera pluribus authoribus quinq. placuerūt, honestum, humile, dubium siue anceps, admirabile, quod est præter hominum opinionem, atque obscurū: Græci ἔνδοξον, ἄδοξον, ἀμφίδοξον, παράδοξον, δυσπαρακολούθητον vocant. Addiderunt nonnulli turpe: quod alij humili, alij admirabili subiiciunt. In obscuro docilis, in humili attentus, in ancipiti auditor beneuolus faciendus est. In honesto res ipsa per se ad conciliationem valet. At in admirabili seu turpi remediis, & insinuatione

Lib. 4. cap. 1. De Inuent. 1

Lib. 2. cap. 17.

Lib. 4. cap. 1.

gnra causa

ne ad beneuolentiam opus est. Vnde exordij duo genera faciunt, principium, & insinuationem: quæ inter se ita differunt, quòd principium simplex est, & aperta oratione auditorem beneuolum, docilem & attentum reddit; insinuatio verò occulta & subdola circuitione animum auditoris subit. Atq; insinuationis tria tempora esse volunt, nimirum cùm in causa inest turpitudo aliqua; cùm alterius oratione auditorum animi sunt alienati; cùm demum defessi sunt audiendo. Fingunt hîc plerìq; multas causas: sed quoniam species omnes numerari non possunt, in singulis consilium ex propria ratione & prudentia sumẽdum est. In vniuersum videamus quæ prosint, quæ contrà obsint; & ad altera cõfugiamus, altera relinquamus. Si persona laborabimus, ad rem; si re, ad personam confugiemus; si neutra pro nobis, videbimus quo pacto lædere aduersarium possimus. Vbi verò alienati auditores fuerint, proponemus nostras probationes; vbi defessi breuitatem pollicebimur. Præterea opportuna vrbanitas tædium leuat, & animos recreat.

Lib. 3. cap. 15 *Deniq; huc pertinent Aristotelis loci, qui ad soluendas criminationes faciunt. At verò etiam cognoscenda sunt exordij vitia, vt vitentur. Vulgare exordium est, quo omnes vtuntur: quo tamen aliquando fas est vti si commodum sit. Commune, quod in medio positum est tã reo, quàm aduersario. Longũ præterea, & separatum, & cõmutabile, & translatũ reprehenditur. Ponunt aliqui inter exordij vitia cõtrariũ, & cõtra præcepta: quæ satis per se ipsa intelligi putamus. Trãseamus ad narrationẽ.*

De Narratione. CAP. V.

N*Arratio est rei explicatio: ab Apollodoro finitur, oratio docens auditorem quid in re sit; ab aliis rerum gestarum, vel perinde vt gestarum vtilis ad persuadendum*

ſuadendum expoſitio. Eiuſq́ duo genera ſiunt; alterum Oratoris, alterum non oratoris. Rurſum non Oratoris duplex, alterum γραμματικὸν *pertinens ad hiſtoricos, alterum* ποιητικὸν, *proprium Poetarum. Oratoris itidem narratio duplex: rei, de qua agitur; & rei, quæ extrinſecus aſſumitur. Aſſumitur autem vel criminationis vel ſimilitudinis, vel delectationis, vel amplificationis cauſa. Quod genus aliqui digreſſorium, nõnulli aſſumptum vocant. Debet autem breuis, dilucida, & probabilis eſſe, vt meminerit, intelligat, & credat quæ dicũtur auditor. Neque verò eam breuitatem præcipimus, quæ orationem obſcurat, damnatam ab Ariſtotele, ſed* Lib.3.cap.16 *eam, in qua nihil deſit, nihil ſuperſit. Fabius hîc loci* Lib.4. cap.2. *putat Iſocratem ab Ariſtotele reprehendi: ſed neq; nomen Iſocratis eſt apud Ariſtotelem, neque eius breuitas eſt vllo pacto reprehendenda. Adhæc Cicero cum Ari-* In Topic. *ſtotele narrationẽ cum dignitate moratam ſcribit eſſe oportere: verùm iſtud Fabius ſentit nõ magis narratio-* Ibid. *nis, quàm aliarũ etiã partium eſſe debere. Præterea* De Orat.2. *quærit in narratione Cicero euidentiam, & cum Theo-* In Topic. & *decte feſtiuitatem. Sed euidentiam Fabius ad diluci-* Partit. *ditatem refert, & feſtiuitatem aliarum partium æquè communem eſſe exiſtimat. Atq; idem ipſe Cicero ſua-* Ibid. *uitatem in narrando non neceſſariam quidem, ſed aſſumi extrinſecus arbitratur. Addunt aliqui magnificẽtiam: quæ non minus aliarũ partium propria eſt, quàm narrationis. Nec ea ſæpè vſui eſt; nempe quæ ſæpè obeſt. Sunt igitur tria narrationis præcipua officia, breuitas, perſpicuitas, probabilitas. Quanquam Antonio in li-* Lib.2. *bris de Oratore vidẽtur errare, qui hæc narrationis magis propria eſſe, quàm totius orationis exiſtimant. Sed Antoniũ diſſimulatorem artis agnoſcimus; cùm idem præcepta horũ officiorum tradat in narratione. Etenim*

animus auditoris non verbis, neque extraneis ornamẽtis, sed rebus ipsis tenendus est in narratione; vt deinceps omnia rectè meminerit: alioquin si nimia fuerint, multa exciderint. Tum difficilius est non esse obscurũ in re narranda, quàm in aliis orationis partibus. Nam maiore periculo hæc pars obscura est, quã ceteræ. Narrationis enim vnus est in causa locus; alia si semel obscurius dixeris, alio loco planius dicere licebit. Et quæ alio loco obscurius dicuntur, tantùm pereunt, quòd ita dicta sint; narratio verò obscura totam obscurat orationem. Postremò quia narratio est totius orationis quidam quasi fons & origo, necesse est, vt sit maximè probabilis. Nam si quid non probabiliter dicitur, toti causæ obest, & alienari incipit auditor. Itaque vt exordij beneuolentia, docilitas, & attentio: sic narrationis propria sunt breuitas, diluciditas, & probabilitas.

De breuitate. CAP. VI.

Ad Alex. *BReuitas orationis ea est, in qua nihil deest, aut superest: atque Aristotelis sententia tam verborum est, quàm rerum. Verborum, si solùm ea ponantur, sine quibus obscuritatem haberet oratio; cetera, quæ necessaria non sunt, remoueantur.* De Inuent. 1. *Itaq; Cicero inquit non minus rerum, quàm verborum non necessariorum multitudine supersedendum esse: & in Partitionibus, Breuitas, inquit, conficitur simplicibus verbis, semel vnaquaq; re dicenda, nulli rei, nisi vt dilucidè dicas, seruiẽdo. Vicinum breuitati vitium est obscuritas. nam dum* In arte Poët. *breuis esse laboro, secundum Horatium, obscurus fio.* Lib. 8. cap. 2. *Quæ obscuritas quomodo fiat, idem Cicero docet, &* De Orat. 2. *Quintilianus. Sit igitur verborum tantum, quantum necesse est: nullum nisi necessarium verbum assumatur. Rerum autem breuitas fit, si non à primis vtiq; initiis,*

&

& gemino, vt aiunt, ab ouo; sed quatenus nostro instituto sufficiat, rem exordiamur: si in reliquo cursu, quidquid ad rem nostram non pertineat, prætermittamus. Quod fieri sic potest, si ea recidamus, quæ sublata neq; cognitioni, neque vtilitati quidquam detrimenti allatura sint: si non singulas rerum particulas dicendo persequamur, sed satis sit velut rerum fastigia perstringere. Nihilominus ita breuis esse debet narratio, vt inornata & indocta non sit, sed quadam etiam suauitate condita; quam præcipit & docet Tullius; quæq; Fabio iudice, & fallit, & efficit, vt quæ delectant, minus longa videantur. Simplex enim & vndiq; concisa, nõ tam narratio potest vocari, quàm confusio. Ergo breuitas erit, non vt minus, sed ne plus dicatur, quàm oportet. In Partit. Lib. 4. cap. 1.

De Perspicuitate. CAP. VII.

AT *Perspicuitas (nam propter vicinum vitium obscuritatis debet esse coniuncta breuitati) verbis similiter fit, & rebus. sed de verborum perspicuitate primo libro dictũ est, vbi de oratione dilucida egimus: rerum autem perspicuitas fit, si vt quodq; primum gestum est, ita primum exponatur, ac rerũ temporumq; ordo seruetur, narrenturq; ita res, vt gestæ sunt, aut potuisse geri videantur. Non discerpta sententiæ, nõ præpostera tempora, non confusæ personæ, distincta omnia rebus, personis, temporibus, locis, causis, atque etiam accommodata pronunciationi.* De Orat. 2. & 3.

De Probabilitate. CAP. VIII.

TErtium *restat narrationis officium, vt auditor vera esse putet quæ audit. Quam in rem sic Fabius scribit, Vt primùm animos nostros consulamus, ne quid dicatur repugnãs; deinde causas factis, de quibus quæritur,* Lib. 4. cap. 2.

ritur, præponamus, & personas conuenientes his, quæ narrare velimus; seruemusq́; rationem locorum, tēporum, & his similium. Ego cum Rodolpho probabilem fere narrationem existimo, si (vt eiusdem verbis vtar) argumentosa fuerit, consentanea, & consequens. Argumentosa inquam, si non modò totius rei, sed singularum etiam partium causas contineat. Consentanea, si personis, locis, temporibus, rebus dicta conueniant. Personis, si quales sunt, talia facta & dicta effingantur. Nam cupidum hominem furti reum fieri, libidinosum adulterij, temerarium homicidij verisimile putatur. Locis & temporibus, si quo loco & tempore vnumquodq; probabile est factum esse, sic narretur. Rebus, si lætis iucūda, seriis grauia, ridiculis faceta, insignibus ornata, tristibus acerba tribuantur. Postremo consequens erit, si sic exponantur priora, vt sequentia expectentur; & quasi per gradus omnia certa serie procedant, ita vt ea secum auditor ipse præuideat. Nam nihil dicere contrarium atq; repugnans est vitium fugere, non laudem vllam mereri. Sit igitur narratio breuis, dilucida, & probabilis, aspersa suauitate aliqua, & affectibus, non illis quidem, qui in peroratione adhibētur, sed qui possint inter narrandum mouere auditorem. In qua etiam licebit; quoniam sedes est argumētationis; semina quædam probationum spargere, verùm sic, vt narrationem esse meminerimus; nimirum vt proponantur, non absumantur argumenta. Nonnunquam etiam (si Fabio credimus) argumentatione aliqua cōfirmabimus, quod proposuerimus, sed illa quidem simplici & breui, vt auditor rem colligere & credere secū ipse incipiat. Quale autem narrationis principium esse debeat, atque vnde sumatur, Fabius docet, nempe vel à re, vel à persona; quæ commendanda, aut infirmanda est. Considerandumq́;

[Margin notes: Lib. 2. cap. 6. (beside "rum, & his similium"); Lib. 4. cap. 2. (beside "sumantur argumenta"); Ibid. (beside "de sumatur, Fabius docet")]

randumq́ diligenter, vt ab eo auspicemur, quod propitium sit, & ad causæ nostræ commendationẽ faciẽs. At cautè omnia circumspicito, ne ab eo statim exordiaris, quod primo aspectu blanditur; ne quid illi subsit, quod possit offendere. Vnde non vtiq; statim ab eo incipies, quod præsens est, sed altius quoque animo repetes ordinem rerum, si quid in eis sit, quod prosit.

De Probatione. CAP. IX.

Narrationem sequitur Probatio; quam nescio quis contentionem appellat, atque in diuisionem, confirmationem, & confutationem partitur. Diuisionemq́ rursum secat in seiunctionem, quam aliqui propositionem vocant, & distributionem, quam nonnulli partitionem appellant. Quanquam diuisioni, distributioni, partitioni sæpè eadem subiecta sententia est. Itaq; apud Ciceronem Antonius post expositionem iubet causam diuidere, aut proponere. Quare diuisio quasi limen argumentationis est, qua summatim proponimus quid, & quo ordine dicturi sumus. Atque eius partes duæ sunt, propositio, & distributio. De Orat. 2.

De Propositione. CAP. X.

Propositio est oratio, ex qua certum quid designatur auditori, quò animum intendat. Atque aliquando generalis est, scilicet totius rei, quæ probanda est, complexio, aliquando singularis probationis intentio. siquidem in vnam causam multæ solent quæstiones incidere. Cùm propositione vtimur, totam causam comprehendamus, transferamusq́ in partem nostram controuersiam, ita vt quæ nobis vtilia sint propositio complectatur. Sumemus autem propositiones, vel ex his quæ sunt propria causæ, vel ex his quæ sunt vulgaria.

Neque

Neq; huius rei ars vlla tradi potest; sed eius facultas ingenio, vsu, præceptis, imitatione, ac plurimarũ rerum cognitione comparatur. Quodsi plures propositiones fuerint, sic disponi eas oportebit, vt ex alia in aliã quasi gradibus vel ascendamus, vel descẽdamus: sin inter se minus illæ cohæreãt, optimis transitionibus cõnectemus.

De Distributione. CAP. XI.

Lib. 4. cap. 5. *DIstributio est absoluta propositionum, & breuiter exposita enumeratio; nostrarum, inquam cũ Fabio, aut aduersarij, aut vtrorunq; ordine collata propositionũ enumeratio: sed sæpè à propositione nõ discernitur. Verùm propositio proponit quid sit id, quod veniat in causam, & de quo cũ aduersario conueniat: at partitio distribuit quæ de re simus dicturi.* Lib. 1. *Author ad Heren. partitionem diuidit in enumerationẽ, & expositionem: enumeratio numerum partium, expositio ipsarum partium explicationem habet. Quæ cùm inter se coniuncta sint, verbo separari non decet. Quando autem distributioni* Lib. 4. cap. 5. *locus sit in oratione Fabius docet, cùm vel obiiciẽda sunt multa, vel diluenda, vt quid quaq; de re simus dicturi ordine appareat. Cùm verò vnum est factum, cùm fallendus est iudex, cùm turbãdus affectibus, cùm ab intentione auferendus, vt aliud agi putet, quàm id, quod petimus, cùm etiam multa gratiora videntur, si non domo allata, sed tunc temporis excogitata credãtur, partitione supersedebimus. Multa quoque turba valent, quæ distincta per se leuia sunt. Cùm autem distributione vtemur, curabimus vt sit aperta, breuis, absoluta.* Lib. 1. *Quod verò author ad Herẽnium præcipit ne triũ* Lib. 4. cap. 5. *partium numerum excedat, non satis Fabio probatur. sed idem tamen vetat ne iudicis memoriam fugiat, & intentionem impediat. Quippe nimium concisa & di-*

centi authoritatem detrahunt, & rem obscurant, ac multitudine perturbant. Quare danda opera est vt absoluta sit; videlicet, ne quid in ea desit aut supersit. Superest enim cùm aut in species partimur, quod in genera partiri sit satis; aut genere posito subiicitur species. Exempli causâ, Si quis proponat dicturum se de alicuius virtute, superuacaneum erit, si addat etiam de iustitia atque continentia; cùm iustitia atque continentia virtutis species sint. In eodem quoque vitio est, qui plura, quàm sit satis, ponit: vt si dicat ostendam voluisse, potuisse, fecisse. Satis enim erat (ait Cicero) vltimum proposuisse. De Inuent. 1 *Ad hoc debet esse breuis, ne vllo verbo oneretur. Non enim quid dicamus, sed de quo dicturi simus ostendimus. Tertia partitionis virtus est dilucidit as. Nam in eum vsum adhibetur, ne reliqua sint obscura. Paucitas verò quam in distributione Cicero desiderat, potest ad absolutionem referri.* De Inuent. *Non autem exequi eo ordine, quo quidq; proposueris, turpissimum erit. Distributionis vtilitates duæ sunt præcipuæ Fabio: quod lucem affert, vt fiant clariora quæ dicuntur; & gratiam, quoniam reficit auditorem. Siquidem nosse quantum itineris confecerimus iuuat, & ad reliquum nos cohortatur.*

De Confirmatione. CAP. XII.

VBi auditorem docueris quid, quóue etiam ordine dicturus sis, relinquitur vt tua confirmes. Est enim confirmatio nostrarum rerum probatio. Probationes verò alias artificiales esse, alias inartificiales antea demonstrauimus. Hic tantùm quæstiones causarum, & qui argumentorum loci ad quamque conueniant quæstionem docebimus.

Quid

Quid constitutio, & vnde oriatur.

CAP. XIII.

Posita causa videndum in primis est in qua constitutione seu quæstione versetur. Constitutionē Cicero primam inquit esse conflictionem ex intētionis depulsione profectam. Intentio nobis est accusatio; depulsio verò defensio. Verùm Fabius negat primam ipsam conflictionem constitutionem esse, sed quæ ex conflictione oritur. veluti sonus nō est duorum inter se corporum conflictio, sed qui ex collisione nascitur: sic ex intentione & depulsione orta contentio constitutio est; perinde ac quæstio ea est, quæ ex interrogatione & responsione proficiscitur. Vnde illa dubitatio mihi leuis esse videtur accusator ne magis, an reus constitutionem efficiat; cùm alter sine altero nihil constituat. An tamē constitutio semper ex prima conflictione existat, adhuc dubium est. Quoniam quidam ex prima conflictione ortam quæstionem constitutionem esse tradunt; ex postrema verò, iudicationem: Fabius verò & constitutionem & iudicationem primæ & postremæ conflictionis absque vllo discrimine statum vocat. quanquam Cicero statum, quem Græci στάσιν vocant, inquit esse primam intentionis depulsionem: in quo videlicet statu insistit ad repugnandum congressa defensio. Hæc quoniam obscuriora videntur, dicam planius. Fecisti, intentio; non feci, depulsio est. Hic quia defensor primum insistit, Ciceroni status est. Ex hac prima intentionis & depulsionis conflictione proficiscitur ea constitutio, qua quæritur an sit factum. Quoniam verò in hac constitutione stat causa, Fabius hanc quæstionem statum appellat. Quod si factum cōcedatur, vlterius progrediendū erit: vt, interfecit matrem Orestes, intentio; depulsio, iure interfecit.

De Inuen. 1.

Lib. 3. cap. 6.

In Topic.

terfecit. Hæc est prima causæ conflictio, hæc est constitutio. Quæ, quoniam in ea non stat causa, non est Fabio status. Nam rationes præterea, & firmamenta quærenda sunt, rationes inquam defensoris, & firmamenta accusatoris: quamuis rationes quandoque dicantur accusatoris, & firmamenta defensoris. Ratio à Græcis αἴτιον dicitur, quæ affertur à reo ad recusandum depellendi criminis causa: quæ nisi esset, quid defenderet nō haberet. Itaque depulsionis suæ rationem Orestes afferet, quòd patrem suum interfecerit. Huic rationi si firmamentum aliquod accusator non opponet, cadet causa. Ergo dicet, Nō licebat Oresti indemnatam Clytemnestram occidere. Quare firmamentum, quod Græci συνέχον dicunt, erit id, quod ad labefactandam rationem affertur: sine quo accusatio stare non potest. Ex postrema hac conflictione, ratione inquam defensoris, & accusatoris firmamento iudicatio exoritur, quam Græci τὸ κρινόμενον dicunt, Cicero modò disceptationem, modò qua de re agitur vocat, Fabius statū. Est autē iudicatio quæstio postrema, quæ ex rationis & firmamenti conflictione, & quasi concursu enascitur. quæ profectò in cōiectura in qua negatur factum, nulla omnino est. Nemo enim, ait Cicero, eius, quod negat factum, rationem aut potest, aut debet, aut solet reddere. Itaq; in his causis eadem & prima quæstio est, & disceptatio extrema. Prima igitur quæstio constitutio, extrema verò dicitur disceptatio, siue controuersia, siue id de quo agitur, siue στάσις, siue τὸ κρινόμενον, siue indicatio.

Cic. in Topi. Fab. lib. 3. cap. 13.

In Partit. & Topic. Lib. 3. cap. 6.

In Partit.

Quot sint causæ quæstiones, quísue earum sit ordo. CAP. XIIII.

DE numero quæstionum causæ (quāquam de quæstionum natura proximo libro plenius disputabitur)

bitur) apud veteres fuit magna dissensio: sed summis authoribus placuerunt tres, An sit factum, Quid sit factum, Quale sit factum. An Vlysses Aiacem interfecerit, Si surripere è loco sacro pecuniã, sit sacrilegium; Num Orestes iure matrem interfecerit. Itaq; ex omnibus causis (inquit Cicero) tres sunt gradus, ex quibus vnus aliquis capiendus est, si plures non queas ad resistendum. Nam cùm accusator personam arguit facti, defensor aliquid opponat necesse est de tribus, aut non esse factum; aut si sit factum, aliud eius facti nomẽ; aut iure esse factum: in primo cõiectura valet, in altero definitio, in tertio ratio. Vnde idẽ Cicero: Nam quoniam *quidquid est, quod in controuersia versetur, in eo, aut sit ne, aut quid sit, aut quale sit quæritur: sit ne, signis: quid sit, definitione; quale sit, recti prauiq; partibus. Nec me latet authorem ad Heren. secundam constitutionem legitimam appellasse, illiq; definitionem subiecisse; eundemq; Ciceronem, tamen in eo libro, quem sibi adolescenti è manibus excidisse scribit, translationẽ quartam cõstitutionem fecisse: sed certum est definitionem per se quæstionem efficere, & legales quæstiones qualitate potissimùm definiri, translationem quoque iure à Fabio ad alias quæstiones reduci.*

In Partir. In Topic. | In Orat. ad Brutum. | Lib. 1. | De Inuen. 1. | De Orat. 1. | Lib. 3. cap. 6.

De Coniectura. CAP. XV.

Coniectura primum obtinet inter quæstiones locũ, in qua negatur factum; à coniectu dicta, id est directione quadam rationis ad veritatem: quoniam qui probat factum, coniecturis vtitur. Quæ quæstio etiam inficialis à Cicerone dicitur ab inficiãdo: quòd reus inficiationi, id est, negationi innititur. Habet coniectura tria tempora, præsens, præteritum, ac futurum: versaturq; circa rei & personæ attributa. Eam Fabius ita tractat,

In Topic. | Lib. 7. cap. 2.

tractat, vt quærat tria, voluerit, potuerit, fecerit. Primum illud, voluerit ne, à persona sumitur: vbi personæ circumstãtiæ spectantur, & causæ: in quibus irã, odium, metum, spem, cupiditatem & reliquas animi perturbationes inspicere oportet. mox consilia, cælandi spes, & perficiendi, absoluendi, pœna leuiori puniendi, & quæ in vniuersum personam circumstant. Alterum est, an potuerit: in quo attenditur locus, tempus, difficultates, occasiones, atque instrumenta. Tertium est, an fecerit: quod ex prioribus facilè colligitur; sed manifestioribus quibusdam signis arguitur, sono, clamore, gemitu, latitatione, titubatione, metu, & similibus. Huc signa tractata à Fabio, huc verba & facta, quæ antecesserunt, & sequuta sunt, spectant. Cicero tamen in Partitionibus totam coniecturam re & persona absoluit, sed ita vt à Fabio non discrepet. In persona notat animi, corporis, & fortunæ bona, & his contraria: in re causam, & euẽtum. Causa est ratio efficiendi; euentum, quod effectum est. Causa vtilitatem continet, & facultatem. Vtilitas ex boni adeptione, & incommodi euitatione percipitur: referturq́; ad voluntatem. Facultas verò faciendi ad eam pertinet quæstionem, qua quæritur an potuerit. Itaque Cicero, His ferè rebus, inquit, facti suspicio confirmatur, cùm & voluntatis in reo causæ reperiuntur, & facultatis. At euentum quibusdam consequentibus præteriti signis; & quasi impressis facti vestigiis probatur. quod huius quæstionis fecerit ne, est. Quamobrem ad coniecturam loci maximè apti sunt ij, qui ex causis, qui ex effectis, & coniunctis sumuntur: qui etiã in deliberatione adhibentur, in qua quæritur, & vtile ne sit, & fieri ne possit. Probationes quoque inartificiales, præiudicia, rumores, fama, tabulæ, testes, quæ facti suspicionem augent, ad coniecturam faciunt.

Lib. 5. cap. 9.

In Partit.

De Definitione. CAP. XVI.

CVm verò factum non negatur, sed de facti nomine ambigitur, quæstio oritur definitiua. seu finitiua, dicta à definitione, seu finitione, aut fine: quæ idem
Lib. 3. cap. 8. *Fabio sunt. Et quoniam ex re definita, rei nomen intelligitur; est enim definitio eius rei, quam nomẽ inuoluit, explicatio; cùm de vi verbi inter accusatorem & defensorem quæritur, vterque definitionem vsurpat. ideoq́; definitiua quæstio dicitur. Ad quam vtilis est scientia definiendi. Neque verò hoc genus aliis argumentationibus tractatur, quàm explicatione vocabuli: quod ad opinionem audientis & sensum, ac communem significationem accommodari oportet. Adiuuant similia, contraria, paria, & eorum exempla, qui eodem modo locuti sunt. Nec tamen in definiendo requirenda semper est dialecticorum legibus astricta ratio, sed habet hîc quoque descriptio, ac sæpe etiam etymologia momentum.*

De Qualitate. CAP. XVII.

QVod si neque factum negari potest, neque vlla est de nomine controuersia, relinquitur, vt iustè factum ostendatur. Idcirco est quæstio qualitatis: in qua de iure, & æquitate agitur. Quæ iuridicialis à Latinis, à Græcis δικαιολογικὸς dicitur. quanquam iuridicialis
In Topic. *nomen Ciceroni molestum est; placet autem magis generalis, quod vim vniuersam, & totius negocij genus*
De Inuen. 1. *amplectatur. Idem Cicero qualitatis quæstionem in duas partes diuidit; iuridicialem, & negocialem. Iuridicialis est, in qua æqui & recti natura, aut præmij & pœnæ ratio quæritur: negocialis verò, in qua quid iuris ex ciuili more & æquitate sit consideratur. Tamen Fa-*
Lib. 3. cap. 8. *bius in negociali, quam πραγματικὴν appellari ait, de*

rebus

rebus ipsis quæri censet, remoto personarum complexu. Et Hermogenes negocialem constitutionem vocat eam, in qua quæritur faciendū ne quid sit. Id quod deliberationi commune est, quæ futurū tempus prospicit, & ad qualitatis quæstionem respicit. Tum iuridicialis partes duas statuunt absolutam, & assumptiuam. Absoluta est, quam Hermagorei κατ' ἀντίληψιν vocāt, cùm Fab.lib.7.
ad probationem facti ex re ipsa sumimus rationes; nimirum cap.5.
quando factum, quod obiicitur, dicimus rectè factum. Assumptiua verò κατ' ἀντίθεσιν, cùm factū per se infirmum assumpta extranea re comprobatur. Huius partes Ciceroni sunt quatuor, Concessio, remotio crimi- De Inuen. 1.
nis, translatio seu relatio criminis, & comparatio. Sed videtur concessio, quia defensoris vltimum refugium est, vltimum locum debere obtinere. Remotio criminis est, quando culpa vel in hominem reiicitur, vt si qui P. Sulpitium occidit, fateatur se iussu consulis id fecisse; vel in rem, vt si quis ex testamento aliquid facere iussus sit, dicat per leges id fieri non potuisse. Hanc remotionē Græci μετάστασιν appellant, Fabius quandoque transla- Lib.3.cap.6.
tionem vocare videtur. Relatio criminis, siue translatio est, quando ex aduersarij facto nostrū defendimus: hoc Græci ἀντέγκλημα nomināt, quia nostra defensio constat accusatione eius qui vindicatur; vt occisus est: sed latro, sed insidiator. Interfecit Orestes matrem; quia patrem interfecerat. Præterea factum defendimus ex aliqua vtilitate vel reip. vel multorum, vel cuiusuis alius, cuius causa id facere oportebat. Comparatio, Græcè ἀντίστασις, est, cùm dicimus necesse fuisse alterutrum facere, & id quod fecimus satius fuisse facere. Postrema cōcessio est, quæ vel purgationem seu excusationem, vel deprecationem habet. Excusamus quādo exclusis ante dictis rationibus factum purgamus vel imprudentia,

vel ignorantia, vel necessitate, vel fortuna; quæ sæpè culpæ substituitur: nonnunquam maleficisse nos, sed bono animo dicimus. Si excusatio nullius ponderis est, deprecatio relinquitur, cùm & fecisse dicimus, & consulto fecisse, sed ignosci nobis postulamus. Valent ad deprecationem si reus innocens sit, si bene meritus, si spes in futurum innocenter victuri, & in aliquo vsu futuri; si vel præsenti periculo, vel aliis incommodis, vel pœnitentia videatur satis pœnarum dedisse. Extra valent nobilitas, dignitas, propinqui, amici. Hæc Fabius. Tamē Cicero negat hoc genus causæ in iudicium vnquam venire. Nam, inquit, quæ motu animi & perturbatione facta sunt sine ratione, ea defensionem cōtra crimen in legitimis iudiciis non habent; in liberis disceptationibus habere possunt, vt apud senatum, populum, principem, & vbicunque iuris clementia habet locū. & alibi. Hoc genus vix in iudicio probari potest, ideò quòd concesso peccato difficile est ab eo, qui peccatorum vindex esse debet, vt ignoscat, impetrare. Tamen etiam si non toto genere causæ, nihilominus Fabij sententia magna ex parte apud iudices sæpe tractatur, vt cùm pro claro viro dicitur per concessionem, etiam si fecisset, ignoscēdum esset. qua Tullius pro Milone magno artificio vsus est. Nunc quoniam tota disputatio qualitatis ex iure pendet, iuris fontes aperiendi sunt. Ius Fabius in naturam & constitutionem diuidit. Ius naturale est, quod natura omnia animantia tam rationis capacia, quàm expertia docuit, quod ius immutabile dicitur. Habetq́ natura secundum Ciceronem partes duas, tuitionē sui, & vlciscendi ius. Constitutio, siue, vt vocat Cicero, institutum ius gentium, & ciuile complectitur. Ius gentium est, quo omnes gentes communi ratione vtuntur, sicut tradit Iustinianus: vnde bella, captiuitates, seruitutes,

Lib. 7. cap. 5.
In Partit.
De Inuen. 2.
Lib. 7. cap. 5.
Lib. 8. cap. 5.
In Topic.
Ibid.

tutes, emptiones, venditiones, locationes, conductiones, societates, deposita, mutua, & alia innumera profecta sunt. Ius autem ciuile est proprium cuiusq; populi ius, decretum inquam maioris potestatis ad tuendum ciuitatis statum ex aequo & bono constitutum. Ἀντονομαστικῶς *tamen ius ciuile Romanum dicitur. Estq; ius ciuile aliud publicum, aliud priuatum: atq; aliud scriptum, aliud non scriptum.* τὸ μὲν *(vt Graeci loquuntur)* νομικὸν, τὸ δ' ἄγραφον. *Scriptum ius est lex, plebiscita, senatus consulta, principum placita, magistratuum edicta, responsa prudentium. Ac scriptum ius publicum Cicero inquit esse legem, senatusconsultum, foedus: priuatum verò tabulas, pactum, conuentum, stipulationes. Sanè publicum est, quod in sacerdotibus, & magistratibus consistit: priuatum, quod ad singulorum vtilitatē pertinet. Atque vtrunq; ius istud priuatum & publicum saepè scriptum non est; sed quod vsus approbauit, quod maiorū more conseruatur, quod (vt ait Cicero) aut consuetudine, aut conuentis hominum, & quasi consensu obtinetur. Atque etiam omne ius ciuile vel alia cōtraria lege, vel consuetudine saepè immutatur. Rursus & gentium & ciuile ius vel diuinum est, vel humanum, sicut Cicero docet. Diuinum religionis est, humanum aequitatis. Aequitas autem omnis vel legitima est, vel communis, vel moris vetustate confirmata.*

In Partit.

In Partit.

In Partit.

De legitimis disceptationibus.

CAP. XVIII.

ET quoniam lege nihil firmius haberi debet, ea in controuersiis tanquam testis & adiutrix adhibenda est. Qua in re (vt Cicero ait) alij quasi status existunt noui: non quòd in priores tres illos non veniāt, sed quia habēt aliquid velut proprium, quam ob rē appel- In Topic.

lentur legitimæ disceptationes. E quibus sunt ambiguũ, contrariæ leges, discrepantia scripti & voluntatis. Addit Fabius ratiocinationẽ. Ex ambiguo est disceptatio, quando scriptum res duas, vel plures significat. Exempli causa, Tullius hæres meus Terẽtiæ vxori meæ xxx. pondo vasorum argenteorum dato, quæ volet; dubiũ est in illo, quæ volet, an ad Terentiam, an ad Tullium referatur. Hanc quæstionem Græci ἀμφιβολίαν *nominant. At cùm legi lex contraria affertur,* ἀντινομία *est; videlicet cùm lex alia iubet & permittit aliquid fieri, alia vetat: vt lex vna iubet tyrannicidæ imaginem in gymnasio poni; mulier tyrannum occidit: sed lex altera prohibet mulieris imaginem in gymnasio poni. Ac sanè leges non iure ipso, alioquin abrogarentur, sed casu & euentu inter se colliduntur. Cùm verò scriptoris volũtas scripto opponitur, vt quæratur, verba ne plus, an sententia valere debeat, scripti & voluntatis est discrepantia. Vt, Peregrinus si murum ascenderit, capite puniatur: cùm hostes murum ascendissent, peregrinus eos depulit. quid velit scriptum manifestum est: sed de scriptoris voluntate dubitatur: an qui seruandæ ciuitatis causa murum ascenderit, voluerit scriptor etiam hunc, si peregrinus sit, capite puniri. Hanc disceptationem Græci vocant* κατὰ ῥητὸν καὶ διάνοιαν. *Quarta disceptatio est ratiocinatio, quam Græci* συλλογισμὸν *nuncupant, cùm ex eo, quod scriptum est, ducitur id, quod incertum est: quod quia ratiocinatione colligitur, status dicitur ratiocinatiuus. Lex est, Qui patrẽ occidit, culeo insuatur. Malleolus matrèm occidit. Hic ratiocinatione ex eo, quod scriptum est, ducetur id, quod non est scriptum: nempe Malleolum esse culeo insuendum. In omnibus autem legitimis disceptationibus de volũtate quæstio est. Nam in ambiguo quæritur, an hoc voluerit*

Lib. 7. cap. 8.

luerit scriptor;in contrariis legibus qua voluntate sit vtendum: in syllogismo spectatur quid senserit scriptor, atq. voluerit. Quamobrem omnes ad scriptum & voluntatem à quibusdam reuocantur. Sed distincta sunt tamen. siquidem scriptum & voluntas de eo disputat verbo,quod est in lege; syllogismus de eo quod non est; amphibolia lis in diuersum trahit; legũ cõtrariarũ ex diuerso pugna est. Hãc inter status legitimos cognationem & differentiam à Fabio accepimus. is constitutiones alias rationales λογικὰς *de re, alias legales* νομικὰς *de scripto esse inquit:& rationales tres, cõiecturam,finitionem,& qualitatem; legales, quas modò exposuimus,quatuor; sed qua ad rationales, maximè vero ad qualitatem reducantur. Nam ad coniecturam non adhibentur. Non enim potest scripto (vt ait Cicero) argui factum,quod negatur:neque vbi de vi verbi quaritur,cadit vllum scripti genus. Quamuis enim verbum aliquod definiatur, non tamen totum scripti genus in dubitationem adducitur. Restat igitur vt quale sit factum legibus demonstretur. Verùm ad aliarum constitutionum probationem ita solent interdum esse vsui,vt argumenta extrinseca; atque ipsa scriptorum genera vel cõiectura,vel definitione,vel qualitate tractantur. Ac qua de legibus dicta sunt, eadem intellige de testamentis,stipulationibus, pactis, & reliquis rebus, qua scripto argui possunt.* Lib.7.cap.11 In Partit.

De Actione, seu Translatione.

CAP. XIX.

R*Eliquum est,vt si neque negari factum, neq, aliud esse factum dici,neq, defendi possit,de actione,seu translatione disputetur. Qua & iudicium antecedit,& sapè in iudicio versatur. Antecedit iudicium,*

quando de ipso indicio cōstituendo solet esse contentio. Cuiusmodi est Ciceronis cōtra Verrem oratio, quæ diuinatio dicitur: in qua de eligendo accusatore disceptatur. In his actionibus solent istæ quæstiones incidere, sit ne actio illi qui agit, aut iam ne sit, aut num iā esse desierit: an cum hoc, an hac lege, an his verbis, an apud hunc, an hoc tempore; & si qua sunt alia. In ipso etiam iudicio, quamuis actio prius confirmata non sit, permagnum tamen sæpè habet pondus: cùm ita dicitur, Plus petisti; serò petisti; non fuit tua petitio; non a me; nō hac lege; non his verbis; non hoc iudicio. Quod genus causarum Cicero in iure ciuili positum, tamen Oratori necessarium existimat. Idem huiusmodi actiones à iudiciis tempore magis agēdi, quàm generis dissimilitudine separat. Nam etsi sæpè dilabuntur in iudicium, tamen ante iudiciū tractandæ sunt: & quia iuris ciuilis ratione continentur, qualitati subiiciuntur. Quidā, quia in his actionibus de transferendo iudicio sæpè agitur, translationem nouam aliam constitutionem esse opinati sunt: sed Fabius negat translationem habere quæstionem, de qua contendit Orator, sed propter quam. Quæ quæstio propter quam non est quidem translatio, sed ad trium constitutionum aliquam refertur: vt, non rectè agis mecum, quia ignominiosus es; rectè ago dices, quia ignominiosus non sum. Non est sanè hic loci quæstio translationis, sed ea, propter quam est translatio; quæstio inquam qualitatis, an ignominiosus sis. Nam qualis sis quæritur. Item, non licet tibi agere mecum; cognitor enim fieri non potuisti; an potueris, indicatio est coniecturalis. Quæritur enim de facultate. Quare non est in translatione quæstio, sed in eo, propter quod est translatio. Ideóque legitimæ quæstioni author ad Heren. non absque aliqua ratione translationem subiunxisse

In Partit.

Lib. 3. cap. 8.

Lib. 2.

iunxisse videtur; quoniam sæpè multa, quæ transferantur, legitimis quæstionibus subiiciuntur.

De Reprehensione. CAP. XX.

REprehensioni, siue refutationi Fabij sententia duplex vis subiecta est. Nam & tota defensio refutatio dicitur, & eorum quæ contrà dicta sunt, dissolutio reprehensio quoq; nominatur. Qua in parte aduersarij dicta expenduntur, vt negentur quæ aut ficta, aut falsa in argumentatione sumpserit accusator. Negemus inquam aut facta, aut hæc facta esse. Ac quæ palam falsa sunt, & contraria, & stulta, & obscura, & ad causam non pertinētia facile est redarguere: sed quæ dixit aduersarius contraria efficere, aut diuersa, aut incredibilia, aut superuacua, aut etiā ad rem nostram conuertere istud artis, & ingenij est. Quod si negare quæ nobis obiiciuntur non possumus, defendamus necesse est, aut excusemus. Porrò apud iudices qualiacunq; sint defendere necesse est coniectura, finitionis, & qualitatis locis: datur etiam multa contemnere tanquam leuia, tanquam extra causam. Quæ simulatione fit, vt quæ refutare non possumus, quasi fastidiendo calcemus. Cùm verò quæ pro verisimilibus sumpta sunt redarguimus, docente nos Cicerone, primùm dicemus dubia sumpta esse pro certis: deinde etiam in perspicuè falsis eadem posse dici: tum ex his, quæ sumpserit, non effici quæ velit. Deprecationi verò vbi locus sit, & apud iudices quo pacto tractanda, antea ostensum est. Ceterùm vt accusatori vtile est multa congerere, quòd turba valeant, ita dissoluere prodest defensori. Hoc est, quod inquit Cicero, Accedere autem oportet ad singula: sic vniuersa frangentur. Possunt tamen aliquando Fabij sententia

Lib. 5. cap. 13

In Partit.

In Partit.

Lib. 5. ca. 13.

multa

multa ſimul refutari, ſi aut ridicula & infirma ſint, aut moleſta, vt cum ſingulis pedem conferre non expediat. Quoniam verò reprehenſiones ex eodẽ fonte hauriuntur, ex quo confirmationes, cùm de confirmando multa ſint præcepta, de reprehendendo plura dicere nõ oportet. Diligentis autem Oratoris, ſagacis, prudẽtis, nec artis ignari erit videre qua ratione, & quo loco quæq; redarguenda ſint.

De Argumentatione. CAP. XXI.

Expoſita ſunt ea, quæ ad probandum inuenire oporteat: nunc quo pacto explicentur docendum eſt. Equidem inuentum ad confirmandam rem aliquam vel probabile, vel neceſſarium, argumentum dicitur: argumentatio verò argumẽti explicatio, vt ait Cicero. In Partit. & De Inuen. 1. *quã-quam idem inuentum ipſum ad faciendam fidem ait poſſe argumentationem appellari. Argumentationis* Lib. 5. cap. 14 *formæ duæ ſunt, Ratiocinatio, quam Fabius Epichirema dici putat, atque Inductio, quæ à quibuſdam enumeratio dicitur. Græci ratiocinationem συλλογισμὸν vocant, inductionem παραγωγὴν, ſiue ἐπαγωγὴν. Ratiocinatio eſt oratio, vt definit Ariſtoteles,* Prior. 1. *in qua poſitis quibuſdam neceſſe eſt aliud præter ea, quæ poſita ſunt, euenire: vt Omnis inſidiator iure occidi poteſt; atqui Clodius eſt inſidiator: ex quibus efficitur Clodium iure poſſe occidi. Ratiocinationis mẽbra ſunt tria, Propoſitio, quam nonnulli expoſitionẽ appellãt, Aſſumptio, & Complexio: Ariſtoteles expoſitionem vocat maiorem propoſitionem; aſſumptionẽ, minorem; complexionem, concluſionem. Propoſitio generalem ac latè patentem habet ſententiam, ex qua tota vis argumẽtationis exiſtit; Aſſumptio generalem ſententiam propoſitæ rei accommodat; Complexio ex propoſitione & aſſumptione*

conficit

conficit id, quod quaeritur. Propositionem omnem dialectici volunt duabus partibus constare: quas subiecti & praedicati nomine significant. Praedicatũ id esse aiũt, cuius vis amplior est: ac deinde partem eam, quae vtrãque propositionem maiorem & minorem copulat, medium appellant: docentq́; bis repeti; atq; in maiori propositione subiectum esse, in minori praedicatũ: vt, Omnis insidiator iure occidi potest; Clodius est insidiator: medium est insidiator. Nam bis repetitum vtramque connectit propositionem: atque in assumptione praedicatum est, quod latiorem vim habeat; in expositione subiectum. quandoquidem latius patet sententia verbi occidi, quàm insidiatoris, & insidiatoris quàm Clodij. At verò Cicero ratiocinationẽ quinque partium facit propositioni rationẽ subiungens, & assumptioni probationem suam. De Inuen. 1 *Quod si sequimur, inquit Rodolphus Quintiliani sententiae fauens, plurium partium facere rationem licebit, cùm vnaquaeque probatio suam possit iterũ habere propositionem, & haec rursus aliam.* Lib. 2. ca. 14. *Itaq; Fabius probationes istas putat his cedere propositionibus, quibus subiiciuntur: & Rodolphus negat esse partes argumentationis, sed nouas alias desiderare argumentationes. Verùm orator propositionibus rationes ideo subiungit, ne cogatur eas in plures alias argumẽtationes, quod Dialectici faciunt, diducere. Atq; hoc est, quod inquit Cicero, Dirigitur argumentatio ad fidem, cùm proposuit aliquid, quod probaret, sumpsitq́; ea, quibus vteretur, atq. his confirmatis ad propositum se se retulit atq; conclusit.* Lib. 5. ca. 14. In Partit. *Quin immò Orator non semper hunc ordinem propositionum sequitur, sed quandoq; immutat varietatis & motus gratia: cùm quasi retro & contra prius sumit quae vult, eaq́; confirmat; deinde id, quod proponendum fuit, permotis animis iacit ad extremum. Sic*

etiam

etiam similitudo vitatur, cùm non semper à proposito ordimur, & non omnia confirmando disputamus, breuitérque interdum quæ sunt satis aperta ponimus; quódque ex his efficitur, si id apertum sit, non habemus necesse semper concludere. Unde etiam Oratores varietatem sectantes in argumentando se ipsos sæpè interrogant, percunctantur, imperant, optant: quæ sunt cum aliis compluribus sententiarum ornamentis communia. Quod si aut propositio desit, aut assumptio, fiet enthymema, syllogismus, inquam, imperfectus. quanquam enthymema quoduis commentum Latinè, argumentúmue significat, maximeq́; id, quod à contrariis est, quia acutissimum videtur. Enthymema cui deest minor: Omnis insidiator iure occiditur; ergo Clodius iure occisus est. Cui deest maior, Clodius est insidiator; ergo iure occisus est. Altera species argumentationis est Inductio: cuius formæ duæ sunt, altera perfecta, altera imperfecta. Perfecta est, quæ per res singulares in vniuersam naturam inducit, & ex formis genus, vel totum ex partibus colligit. Genus hic dicimus, quod aliqua ratione in plura diuiditur: species, in quas id diuiditur. Itaque propter incertam multitudinem partium, aut formarum propositiones neque numerum, neque ordinem certum habent. Ex partibus hoc modo, Plebs Romana optimè de Milone sentit, & equester ordo, & senatus: Totus ergo populus Romanus de Milone optimè sentit. Ex formis hoc modo, Pompeius habet virtutem, peritiam rei militaris, authoritatem, & felicitatem: Habet ergo cuncta, quæ in summo duce spectantur. Imperfecta verò, quam nonnulli exemplum vocant: (quanquam exemplum propriè est rei gestæ, vel perinde vt gestæ commemoratio) non ex omni-

Fab.lib. 5. cap.x.

Cic.In Topi.

nibus

bus, sed ex aliquot, ac quandoque ex vna sola aut parte, aut specie ad genus & totum, vel ad vnam partem speciémque progreditur. Et Cicero quidem argumentationem ex pluribus similibus peruenientem quò vult inquit esse inductionem: eáque plurimum esse vsum in sermonibus Socratem. Exemplum extat apud Ciceronem in libris de Finibus: vbi nouis rebus noua nomina imponenda esse multorum enumeratione demonstrat. Dialectici & Physici verbis vtuntur his, quæ ipsi Græciæ nota sunt. Geometræ, Musici, Grammatici etiam more quodam loquuntur suo. Item ipsæ rhetorum artes, quæ sunt totæ forenses atque populares, verbis tamen in dicendo quasi priuatis vtuntur, ac suis. Nec opifices quidem tueri sua artificia possent, nisi vocabulis vterentur nobis incognitis, vsitatis sibi. Quin etiam agricultura, quæ abhorret ab omni politiore elegantia, tamen res eas, in quibus versatur, nominibus notauit nouis. Quo magis hoc Philosopho faciendum est. Unde L. Valla reprehenditur, quia negat inductionem esse dicendam, quæ vel interrogationibus careat, vel ex singularibus in vniuersale perueniat. Ergo argumentandi perfectæ formæ sunt duæ, ratiocinatio, & inductio: imperfectæ etiam duæ, enthymema, & exemplum. Perfecta dicuntur, quòd in his tantum antecedens in dubium vocetur: imperfecta, in quibus & antecedens & consequens in dubium veniant. Nam si propositio & assumptio conceduntur, necessaria ex his conclusio infertur: in enthymemate ex propositione sola, aut assumptione non fit necessaria complexio. Eadem ratione perfecta inductio vniuersale necessariò colligit, imperfecta rem singularem non infert necessariò. Nonnulli perfectas argumentationes Dialecticorum esse dicunt, imperfectas

In Topic.

Oratorum

Lib.2.ca.14. *Oratorum. Quibus Rodolphus non facilè assentitur; quandoquidem Dialectici enthymematis & exemplis, contra Oratores perfecta interim ratiocinatione & inductione vtuntur. At fortasse vocant illas dialecticas, quòd Dialecticis; has oratorias, quòd Oratoribus cómuniores sint. Sed de Syllogismorum figuris & legibus, Dialectici consulendi sunt, qui iudicandi rationem profitentur.*

De Egressione. CAP. XXII.

Post nostrarum rerum confirmationem, & contrariarum reprehensionem aliqui iubẽt digredi. Quod De Orat.2. *nonnulli volunt post narrationem fieri. Ac licet egressio neque per se partem orationis faciat, neque istis locis semper commoda sit; tamen qualis sit ostendendum est, vt cùm opus sit, ea rectè vtamur. Egressio, siue di-* Fab.lib. 4. cap. 3. *gressio, aut excessus à Graecè παρέκβασις, est alienæ rei, sed ad vtilitatẽ causæ pertinẽtis extra ordinem percur-* De Orat.2. *rens tractatio: vel (vt finit Cicero) à re proposita declinatio. Omnis enim excessus aut est à causæ cursu remotus, vt multæ digressiones in Verrem, quæ ad voluptatem solùm comparatæ sunt; aut causæ magis inhærens; vt in Oratione pro Cornelio est in Pompeij laudes egressio. Sumuntur autem egressiones vel ab expositione rerũ gestarũ, vel à descriptionibus, vel à fabulis, vel ab apologis, vel à locis communibus, vt iustitia, fortitudine, temperantia, libidine, ira, & similibus: Sumũturq́; aut* De Orat.2. *ornãdi (vt vult Cicero) aut augendi gratia. Adhibentur verò vel post narrationem, vel ante probationes exordiorũ loco, vel post confirmationes loco conclusionum vel post locos inamœniores, vt tædium leuent. Atq; vt exempla & similitudines in quauis parte orationis afferri possunt, sic etiam digredi licet quo loco videtur.*

Liberiores tamen ſunt digreſſiones in demonſtratiuo, quàm in alijs generibus; quoniam hoc genus ad oſtentationem magis comparatum eſt.

De Concluſione, ſeu Peroratione.
CAP. XXIII.

Concluſio, ſeu Peroratio; aut cumulus, ſiue etiam Græcè ἐπίλογος, eſt artificioſus exitus orationis, & determinatio. quanquam ἐπίλογος apud veteres quandoque enumerationem ſignificat. Id ſenſiſſe Atticos credit Fabius, quia Athenis mouere affectus etiã per præconem prohibebatur. Et ἐπιλέγειν eſt breui dicta complecti. Omitto quòd aliqui extremam concluſionis partem epilogum nominant, vt orationis pro Marcello concluſio illa ſit, Sed vt vnde eſt orſa, inde terminetur oratio mea: epilogus verò, Itaq; C. Cæſar ſic tibi gratias ago. & quæ ſuperſunt. Concluſionem omnes in enumerationem rerum & affectuum amplificationem diſtribuunt, quam αὔξησιν Græci nominant. Quare miſericordia ab amplificatione ſeiungenda non eſt: cui etiam indignatio, & conqueſtio ſubiungitur.

De Inuent. 1.
Ad Heren. 2.
Ariſt. lib. 3. cap. 19.
Lib. 6. cap. 1.

De Enumeratione. CAP. XXIIII.

Enumeratio Græcè ἐπίλογος dicitur, ſiue ἀνάμνησις, quia dicta in mẽtem reducit, ſiue ἀνακεφαλαίωσις, quaſi per capita decurſio, ſiue ἐπάνοδος. quippe (vt Hermogenes inquit) τὴν ἀνακεφαλαίωσιν καλοῦσιν ἐπάνοδον. Eſt inquam enumeratio rerum repetitio, & congregatio, per quam colligimus, & commonemus quibus de rebus verba fecerimus. Quæ repetitio talis eſſe debet, vt renouetur, non redintegretur oratio. Atque ita faciendum eſſe ἀνακεφαλαίωσις verbum oſtendit. Neque verò minima quæq; repetenda, ſed pondera rerum at-

tingenda ſunt, ne alia quaſi fiat oratio, & artificij, ingenij, ac memoriæ puerilis oſtentatio euitetur. Tempora enumerationis Cicero duo eſſe putat; alterum eſt, cùm memoriæ diffidimus auditorum. Diffidimus autē aut temporis interuallo, quando cauſa à pluribus acta eſt, aut longitudine orationis. alterum, cùm frequentatus firmamentis orationis & breuiter expoſitis vim eſt habitura cauſa maiorem. Quare initio concluſionis docet Ariſtoteles, cùm enumerationem adhibemus, dicendum eſſe perſoluiſſe nos omnia, quæ polliciti ſumus. quibus tamē verbis non ſemper vtitur Orator, ſed abſq; præmonitione ad enumerationem accedit. Deinde ea, quæ diximus, breuiter & cum pondere explicāda ſunt, atque etiam aptis ſententiis excitanda, & figuris varianda, et interrogatione, addubitatione, comparatione, illuſione: alioquin Fabij ſententia nihil odioſius eſt recta illa repetitione, velut auditorum memoriæ diffidentis. Præterea in enumeratione Ariſtoteles locutionem laudat ἀσύνδετον atque ſolutam. ſiquidem ἐπιλέγειν præter alia ſignificat quæ dicta ſunt breui complecti, & enumerare. Exemplum apud eundem tale eſt. Εἴρηκα, ἀκηκόατε, ἔχετε, κρίνατε: Dixi, audiſtis, habetis, iudicate. Vtilis autem eſt enumeratio, quia memoriam iudicis reficit, & totam ſimul cauſam ponit ante oculos: & (vt ait Fabius) ſi per ſingula minus mouerat, turba valebit.

In Partit. · Lib. 3. cap. 19. · Lib. 6. cap. 1. · Lib. 6. cap. 1.

De Amplificatione. CAP. XXV.

Amplificatio eſt rerum, atq; verborum. De verborum amplificatione multa Fabius, vbi de elocutione agit: at rerum amplificatio Ciceroni eſt vehemens quædam argumētatio, quæ motu animorum magis, quàm rebus probandis conciliat in dicendo fidem.

Lib. 8. cap. 4. · In Partit.

Quare argumenta non respuit, immò eo plura desiderat, quo vehementior est, maximeq; conglobotas definitiones, consequentia, contraria, dissimilia, repugnantia, causas, effecta, similitudines, exempla. Nec illa tamen recta deducit, sed inflectit ad motum: quoniam quibus rebus animus mouetur, his facilius credit. Itaque tota vis amplificationis in augendo posita est, vt id, quod sumitur ad mouendum, grauius efficiatur. Hinc tragici easdem res augent, vt maiores appareãt, cùm plures rationes non habent. Et quamuis ad motum in amplificando tendat oratio, nihilominus fidem præ nobis ferre debemus, vt docere, non mouere auditorem velle videamur, & causæ magis fidere, quàm affectibus. Nec Aristoteles cùm inquit in motu superuacaneam esse argumentationem, hanc intelligit, quæ ad motum, sed illam, quæ rectà spectat ad fidem; vt quæ non abducat animum, sed intendat. Ideoq; Cicero, *nec quidquam in amplificatione nimis enucleandum. minuta est enim omnis diligentia. Hic locus grandia requirit: vbi demonstrandæ non colligẽdæ argumẽtationes sunt. Quoniam verò amplificationis proprium est cõmouere; quid sit, & quotuplex motus, videndum. Motus est animi incitatio aut ad voluptatem, aut ad molestiam, aut ad motum, aut ad cupiditatem. Tot enim sunt motus genera; partes plures generum singulorum. Nascuntur autem omnes perturbationes* (*vt docet* Cicero) *ex opinione vel boni, vel mali, aut præsentis, aut futuri. Et affectus quidem omnes vel lenes sunt, vel concitati: alterum genus Græci* ἦθος, *alterum* πάθος *vocãt.* Ηθος, *quia ad naturas & mores & ad omnem vitæ consuetudinem accommodatur, (vt ait* Cicero*) come est, & iucundum, atque ad conciliandam beneuolentiam paratum. In quo exprimendo summa virtus est (inquit Fabius)*

Lib. 3. cap. 17

In Partit.

In Tusc. quæst.

In Orat.

Lib. 6. cap. 3.

F 2

bus) vt fluere omnia ex natura rerum hominumq́; videantur: quo mores dicentis ex oratione perluceant, & quodammodo agnoscantur. πάθος est vehemens, incensum, & incitatum, quo perturbantur animi & concitantur: in quo vno regnat oratio, quo causæ eripiuntur; quod, cùm rapidè fertur, sustineri nullo modo potest. Quamobrem affectus lenes persuadent, vehemẽtes imperant; illi ad beneuolentiam, isti ad perturbationẽ præualent; illi à comicis, isti à tragicis exprimuntur.

De Orat. 2. *Itaq; amplificationis duo munera sunt, vt vel perturbet animos, vel tranquillet; aut, inquã, augeat eorum motus, aut sedet. Augentur autẽ affectus & ex cõditione personæ, & ex rei magnitudine: personæ quidem, cui aliquid euenit, & à qua euenit: atque in vtraque dignitas consideratur; & indignitas. nam lætè ferimus res dignè factas, ægrè indignas. Atqui res magna est aut vi*

In Partit. *sua & natura, aut vsu & opinione. Natura magna sunt cælestia & diuina; atque ea, quorum obscura causæ; quæq́; in terris mundoq́; admirabilia cernuntur: vsu verò, quæ videntur hominibus prodesse, aut obesse vehementius. Atque interdum solius rei, vt Cicero pro Nauarchorum casu; interdum personæ, vt idem pro Sylla;*

Rodol. lib. 3. cap. 3. *sæpè rationes vtriusque amplificamus, vt pro Milone: & quandoque rem simpliciter augemus, quandoq; comparatè. Ac quanquam amplificatio omniũ affectuum capax est, tamen Oratoribus duo præ ceteris laudem maximam attulerunt, odium, & misericordia, præsertim in magnis rebus amissis, aut amittendi periculo.*

In Partit. *Nihil enim est tam miserabile, quàm ex beato miser. Adhæc affectus quidam firmiores sunt, quales sunt amor, odium, inuidia, & qui maioris causæ persuasione animos obsident; quidam leuiores, qui cùm ex aliis leuioribus causis, tum ex orationis vento excitantur, atq;*

vt

vt subitò prorumpunt, sic quoq; statim subsidunt. Huiusmodi sunt, qui commiserationem mouent. Quos idcirco Apollonius, Cicero, Fabius censent breuiter esse tractãdos, quia citò arescit lacryma, præsertim in alienis malis. Nam cùm veros dolores (inquit Fabius) mitiget tempus, citius euanescat necesse est illa, quam dicendo effinximus, imago. In qua si moramur, fatigatur auditor, & requiescit, & ab illo, quem ceperat, impetu ad rationem redit. Quin etiã aduertemus, vt affectus paulatim augeamus. Verùm qua ratione augẽtur, eadem quoque diminuuntur: & contrariis contrarij affectus opponendi sunt. sed tamen eosdem affectus animo prius necesse est induat Orator, quibus velit spectatores afficere; nec alienam rem putet agere, sed suam. Induat verò non aliter atque histrio per φαντασίαν. Εὐφαντασίωτος enim Græcè dicitur, qui rectè voces, res, affectus aliorum effingit. Quam in rẽ pulchrè Horatius; Lib.6. cap.1. De arte poët.

Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitũ; mouet, aũt impellit ad iram:
Post effert animi motus interprete lingua. &,
Vt ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani vultus. Si vis me flere, dolendum est
Primùm ipsi tibi: tunc tua me infortunia lædet.

Amat autem amplificatio dicendi genus ad conciliandum delectabile, ad mouendum graue. Nec solùm dicendo, sed faciendo etiam affectus mouemus: sic Antonius in foro prætextam Cæsaris ostendendo multitudinem in furorem concitauit. Locus amplificationis etsi in reliqua oratione est post rem vel expositam, vel confirmatam, vel reprehensam; tamen proprius est in exordio ad conciliandum, & in peroratione ad mouendũ, sed proprior in peroratione, vbi maximè mouendus auditor est.

De Ordine partium Orationis.
CAP. XXVI.

IAm verò mihi orationis partes intuenti videtur earum recta esse, & accommodata inter se collocatio. Nam quia mouere victoriæ est, iure primus & postremus locus datus est iis partibus, quæ ad impellendos animos valent: atque exordio primus, quo auditorem allicimus; perorationi verò, quæ triariorum speciem gerit; postremus, vbi maioribus affectibus auditorem incitamus: illic commonemus, hic flectimus. At narratio & confirmatio, quæ ad fidem faciunt, quasi media in acie positæ sunt, & vtrinque à motu defenduntur. Nam auditor in principio ad fidem comparatur; in peroratione verò, si credere argumentis noluerit, vehementiori motu afficitur, quo impulsus aliter iudicet, & in nostram sententiam veniat. Verùm quæ partes orationis in vnaquaque causa conueniant, mox docebimus, cùm de generibus causarum loquemur. Interim monemus in omni oratione tametsi longa illa principia, & perorationes non sint, quales in maximis causis legimus, tamen semper aliquid esse loco principij, & conclusionis, ne abrupta oratio & imperfecta videatur. Præterea meo iudicio partes orationis aliæ vniuersales sunt, nimirū totius causæ: aliæ singulares, certi cuiusdam loci propriæ: & generales quidem eo inter se ordine constant, quem exposuimus. Igitur exordium, quoniam orationis initium est, in prima sede locatur. Quod si fortè aliquando in ipso orationis cursu rursum exordimur ad beneuolentiam, docilitatem & attentionem renouandam, illa singularia quædam exordia, vel exordiola potius appellarim. Deinde narratio confirmationem antecedit. Siquidem confirmatio est narrationis probatio.

Nihil

Nihil enim vnquam probamus, quod non antè expositum, propositúmue sit, quippe demonstratio (vt Aristoteles ait) expositionem sequitur necessariò. Quod si aliæ quædam narrationes interdum in causam inciderint, non necesse est eas vniuersam causæ confirmationem præire, nẽpe quæ probationis vim habeant: multarũ quoq; rerũ probationes sæpe narrationẽ causæ antecedunt, sed quæ ad narrationẽ causæ, & probationẽ pertineant. Vnde Quinctilianus de narratione loquens an Lib.4.cap.2. procœmio subiicienda sit, ita scribit; Quod qui opinantur non possunt videri nulla ratione ducti. Nam cùm prooemium idcirco comparatum sit, vt iudex ad rẽ accipiendam fiat conciliatior, docilior, & attentior, & probatio nisi causa prius cognita nõ possit adhiberi, protinus notitia rerum instruendus videtur. Sed hoc quoque interdum mutat conditio causarum. Nam ante narrationem sæpè multæ quæstiones tractantur vel ad depellenda crimina, vel ad probationem futuræ confirmationis. Quemadmodum in oratione pro Milone Cicero ante narrationem præiudiciis prius occurrit, quæ obstare confirmationi videbantur. De eo etiam disputat, an insidiatorem liceat interficere: quod ad causam suam plurimum facere videbat. Quarum rerũ disputationes licet ad futuram disceptationem faciant, non sunt tamen futuræ narrationis probationes; sed aditum quasi quendam faciunt, & ad futuram controuersiam munitionem. Postremus locus conclusioni debetur, quoniam est exitus & determinatio totius orationis. Sunt quidem aliæ sæpè in oratione conclusiones aut totius probationis, aut singularum quæstionum, sed vniuersæ causæ peroratio totam orationem artificiosè concludit.

De partium Orationis cognatione inter se, & differentia. CAP. XXVII.

ORationis partium numerum, ordinē, & officium exposuimus: nūc earū inter se cognationē & differentiā demonstremus. Sunt ergo partes orationis tendentes ad motum duæ, principiū & peroratio; ad fidem itidē duæ, narratio & confirmatio: atq; hæ semper necessariæ, quia semper est docendus auditor; illæ non semper necessariæ, ni quando is qui audit, motu aliquo afficiēdus est. Nihilominus semper aliquid esse debet in oratione principij loco, & perorationis. Ac principiū & peroratio fine cōueniunt, quia vtraq; motū animorum petit: item narratio & confirmatio inter se consentiūt, quia vtraq; ad faciendā fidem spectat. Præterea quot officia principij, totidē quoq; sunt perorationis, scilicet beneuolentia, docilitas, & attentio. Beneuolentia tā in exordio, quàm in cōclusione ex iisdē rebus sumitur, nimirum à persona, & ab adiunctis causæ. Et quidē vtriq; cōmune est cōciliare sibi, auertere ab aduersario iudicē, conciliare affectus atq; cōponere. Quod autem aliqui censent eò distare proœmium ab epilogo, quia in epilogo præterita, in principio futura dicantur, non satis à Fabio probatur: sed hoc differre Fabius existimat, quòd in epilogo liberiora omnia, & pleniora sunt. Nam inclinatio iudicis erga nos petitur initio parcius, vbi admitti satis est, & oratio tota superest: at in epilogo licet totos effundere affectus, quoniā nullus amplius in oratione locus relinquitur, quo affectus seruemus. Quamobrem in exordio lenius & modestius proferunt sese affectus nondū cōciliato nobis auditore; in peroratione verò inclinato iā auditore tota vela pādere possumus. Quanquā in principiis quandoq; præstantissimi Oratores in vehementes

Fab.lib.6. cap.1.

Lib.4.ca.1.

Fab.lib.6. cap.2.

vehementes affectus exarſerũt. quod poſtulante cauſa fieri poteſt. Quare Cicero *amplificationem ſcribit ſæpè etiã primũ locũ habere. Atqui docilitas nõ magis exordij, quàm cõcluſiõis propria eſt. Nã vt in exordio dociles auditores facimus, cum finẽ orationis oſtẽdimus; ita & in peroratione per probationẽ argumẽtorũq; enumeratione docilitatem captamus: ſed tamẽ hoc inter ſe diſtãt, quòd in principio finẽ orationis præmonſtramus, in peroratione dicta in mentẽ reducimus. Quam rẽ Ariſtoteles ſcripſit his verbis: Debemus autẽ principio oſtẽdere qua de re ſumus dicturi, ne iudex ignarus ſit; in fine, rationes, quibus cauſa probata eſt, aperimus, & per capita colligimus. Quare ne Fabiũ quidẽ puto poſſe reprehẽdere, quòd in exordio futura oſtẽdimus, in epilogo præterita dicimus, & vtraq; ratione docilẽ facimus auditorẽ. Deniq; attẽtio docilitatẽ ſemper comitatur: præſertimq; in rerũ amplificatione id apparet. Sed & narratio & cõfirmatio fine cõſentiunt; quoniã vtraq; tẽdit ad fidẽ. Verùm breuitas & dilucidítas nõ ita in cõfirmatione neceſſaria. Nã pluribus rẽ eandẽ dicere in cõfirmatione ſæpè vtile eſt; & ſi quæ obſcurè dicta ſunt, repeti, aliiſq; verbis explicari poſſunt. quod in narratione facere non licet. Probabilitas autem ab vtraq; requiritur; ſiquidẽ vtriq; propoſitũ eſt docere; quanquam magis propria narrationis eſſe cẽſetur, quoniã hinc credere incipit auditor. Hoc tamẽ differũt, quòd narratio exponẽdo, cõfirmatio argumentando fidẽ facit. Verùm & in narrando quandoq. argumentamur, & in confirmãdo ſæpè narramus: narratio enim eſt ſedes cõfirmationis, confirmatio verò narrationis aſſertio. Narratio cauſas recenſet, confirmatio eas aſtruit & confirmat: quæ in narratione breuiter aliquando confirmatur, ſed in confirmatione fuſius exponuntur.*

In Partit.

Lib. 3.

IO. ANTONII VIPERANI, DE COMPONENDA ORATIONE, LIB. III.

Dictorum series & dicendorum. CAP. I.

PRioribus libris enarratum est quibus rebus constet, quibus etiam partibus componatur oratio. Hoc demum libro docendum quo modo in vno quoque genere causarum formanda sit. Nam differentes causæ diuersis modis tractãtur. Siquidem alia ratione laudamus, alia suademus, alia accusamus: & in laudatione aliud contendimus, aliud in deliberatione, aliud in iudiciis. Personarum quoque discrimen formam variat orationis. Ideóque rerum dispositionem in hunc locum distulimus, vt cognitis causarũ generibus ad cuiusque finem collocationem rerum accommodaremus. Neque enim causæ omnes eodem in statu versantur; aut eodem habitu dispositionis componuntur, aut easdem partes orationis efflagitant. Quamobrem hoc libro primũ ostendemus quot sint genera causarum; deinde cuiusq; finẽ demonstrabimus; postremò docebimus qua ratione singula instituantur. Primùm omnium tamen quæstionum genera explicabimus.

De Quæstione. CAP. II.

QVæstio res est ad disputandũ, dicẽdúmue proposita. Est autem omnium cõsensu aut infinita, aut finita.

finita. Infinita à Græcis θέσις, *à Cicerone propositum, & consultatio dicitur, ab aliis quæstio vniuersalis, & generalis, ac philosopho conueniens: finita,* ὑπόθεσις, *controuersia, causa, ac modo specialis, modò singularis nominatur. Infinita quæstio (vt Cicero definit) ea est, quæ nõ est in maximis circumstantiis, licet in aliqua sit, vel in pluribus. Maximas circumstantias idem putat esse certam personam, locum, & tempus. At definita maximis circumstantiis cernitur. Hæc clariora fient exemplo. An sit ducenda vxor, quæstio est infinita, quoniam in nulla maximarum circumstantiarum est: vocatúrque propositum, siue propositio in dubitationem adducta, de qua in vtramque partem à philosopho disputatur: at an ducenda sit Catoni, quoniam certam personam habet, definita est propria Oratoris. Nec verò definitam quæstionem voces propositionem, quæ dubitationem habeat. hoc enim esset opinionem Celsi confirmare dicentis omnia, quæ Oratori ad dicendum proponerentur, incerta & dubia esse. Quem Fabius meritò reprehendit, cùm in genere demonstratiuo non dubia confirmentur, sed certa aut laudentur, aut vituperentur. Ac scio quosdam existimare licet ista dubia non sint, tamen vt dubia proponi, & latentem aliquem aduersarium habere: qui non vident se Ciceronis, & præstantissimorum Authorum sententiis, apertè contra ire: quoniam illi asserunt nec dubiam, nec tanquam dubiam rem vllam exornari. Nam alioquin probatione & confutatione in exornatione opus esset: quod ita non est. Quod si fortè causam aliqui controuersiam nominauerunt, ij consuetudinem dicendi maiorem obseruarunt, quoniam in deliberationibus & iudiciis Oratores potissimè versarentur,*

In Topic. & Partit.

In Topic.

De Orat. 2.

Lib. 3. cap. v & x.

sarentur, nec demonstrationem ullam liberam, & à negotiis disiunctam attingerent. Et ut Controuersia, in qua de facto ambigitur, sine intentione esse non possit; certè sine intentione stare exornatio potest, in qua nulla contentio est. Quidquid igitur Oratori ad dicendum proponitur, id quæstionis nomine significatur.

De Quæstione infinita. CAP. III.

Fab. lib. 3. cap. 5. *QVæstiones autem vniuersales quorundam iudicio vel simplices sunt, quæ insunt in rebus ipsis, vt An ducenda sit vxor, An resp. administranda: vel ad aliud referuntur: vt, An seni ducēda, An tyranno administranda: in quibus aliqua ex maximis circūstantiis subest, ad quam sit quæstio referenda. Atque erit quæstio generalis, quia circumstantia certa & definita nulla hic est. Ac Cicero infinitæ quæstionis duo genera facit, alterum cognitionis, alterum actionis: illius finis est scientia, quæ mentem exornat; huius actio, qua appetitus perficitur. Rursùm cognitionis genera tria, An sit, quid sit, quale sit. Naturalis enim ordo requirit, vt primum, An sit res, quæramus, An sit Deus; deinde quid sit, nimirum eiusdem rei, quæ esse cōstat, naturam, Quid sit Deus: postremò rei affectiones & qualitatès, Qualis sit Deus. Aristoteles quærendum præterea censet, Quamobrem sit. Quæ sanè quæstio maximè ad qualitatem spectat. Nam si quæres quamobrem sit immortalis Deus, tota ferè disputatio pendebit ex qualitate. Ad hæc quæstionis, An sit, tria sunt tempora, præsens, præteritum, & futurum; partes duæ, possit ne effici, & quemadmodum fiat. Ac prior pars ad causam pertinet, nempe vnde orta sit, & cur sit; vt cùm quæritur Doctrina an natura possit effici iustus! vel, quibus rebus eloquentia paretur: posterior ad mutationem spectat,*

In Topic. & Partit. & De Orat. 3.

Poster. 2.

Fab. lib. 7. cap. 2. In Partit. De Inuen. 1.

vt cùm quæritur, possit ne eloquentia commutatione aliqua conuerti in infantiam. Ad quæstionem, quid sit, pertinet ratio & scientia definiendi. Quo etiam in genere illud quæri solet, quod de eodem & altero dicitur: vt, quid inter assentatorem & amicum intersit. Quod discrimen ex definitione cognoscitur. Tertia quæstio dicitur qualitatis; quam Cicero interdum consecutionem vocat; quæ simpliciter tractatur, & comparatè. Simplicium tria sunt genera, de expetendo & fugiendo, de turpi & honesto, de æquo & iniquo: primum ad hominis bona refertur: vt, expetendæ ne sint diuitiæ, ac paupertas fugienda; alterum ad virtutes pertinet: vt, honestum ne sit mori pro patria; tertium in iure positum est: vt, æquum ne sit vlcisci a quocunque iniuriam acceperis. Comparatio aut de maiore & minore est: vt, pluris ne sit eloquentia, an iuris ciuilis scientia; aut de eodem & altero: vt, quid inter regem & tyrannum intersit. Nec obstat, quòd quæstionem de eodem & altero definitioni antè subiecimus: nam rerum naturas & ex definitione, & ex qualitate etiam cognoscimus. Quare Cicero de eodem & altero quæstionem, alias ad definitionem, alias retulit ad qualitatem: & hæ cognitionis sunt quæstiones: quæ præ se solam scientiã ferunt. Sequitur actio: cuius primum hæc duo genera sunt, alterum quo pacto aliquid adipiscamur, vel declinemus, vt quo pacto adipisci gloriam possis, & quemadmodum inuidia vitetur: alterum, quod ad aliquod commodum vsumq́; refertur: vt, quemadmodum sit Resp. administranda; aut, quemadmodum sit in paupertate viuendum. Præterea omnis actio vel ad præcipiendum, vel ad mouendum pertinet: atque alterum genus obiurgationem, siue officium continet; alterum habet ad bona cohortationem; dehortationem à malis. Verùm Rodolphus

De Orat. 3.

In Partit.

In Partit. & & Topic. & De Orat. 3.

Lib. 2. cap. 9.

phus Agricola cognitionis quæstiones dicit esse eas, quæ fiunt ex scientiis inspectiuis, quæ θεωρικαὶ nuncupantur, qualis est Philosophia naturalis, & Mathematicæ disciplinæ; actionis verò, quæ ex actiuis sumuntur, vt ex morali philosophia, & his artibus, quæ operariæ nominantur. At Cicero cognitionis quæstiones vocat eas, quibus solùm quærimus rerum scientiam; actionis, quibus petimus vsum. Igitur hæc quæstio, Quid sit virtus, Ciceroni est cognitionis, Rodolpho actionis. Nec tantus vir tam facilè ab Agricola reprehendi debuit. Ceterùm quæ in propositis genera sunt, An sit, Quid In Topic. *sit, Quale sit, eadem (vt Cicero sentit) in causas transferuntur.*

De Quæstione finita. CAP. IIII.

SEd in thesi (vt ita dicam) de re quærimus, in hypothesi de facto. In thesi an sit mundus, quid sit mundus, qualis sit mundus; in hypothesi an Vlysses Aiacem occiderit, si surripere è loco sacro pecuniam sit sacrilegium, num Orestes iure matrem interfecerit. Ro- Lib. 2. cap. 6. *dolphus Ciceronem & rhetores alios reprehendit, quòd quæstiones an sit, & quid sit, in foro causisq; ciuilibus disputari crediderint: quoniam quæstionem, an est, putat eam esse, qua nulla est superior, &, quid est, eam, quæ rei naturam inquirit; hac autem quæstione an Vlysses Aiacem interfecerit, alia potest esse superior, an sit Aiax, an sit Vlysses, an sit cædes; & Oratores censet non rei naturam, sed nomen inquirere. Verùm Agricola theseos rationem considerans, in qua de re quæritur, vim causæ non aduertit, in qua de facto disseritur: de quo si quæras, certè hac quæstione, An factum sit, nulla alia potest esse superior. Tum de facti nomine disputari non potest, nisi facti ratio definiatur.*

Vnde fori consuetudinem sequuti rhetores, An sit, & Quid sit, his etiam quæstionibus dederunt, quæ de facto ac facti nomine quærunt: & primam quæstionem coniecturalem, alteram definitiuam, tertiam iuridicialem appellarunt. Nunc quoniam de genere latius, quàm de specie disputatur, & quod in vniuersum probatum est, id etiam in parte probatum esse necesse sit, docet Cicero quæstionem finitam, à circunstantiis reuocare. Quare thesis consultatio dicitur, quòd ad eam finita quasi ad consulendum referatur: & consultationem Athenæus ac Cicero partem causæ faciunt ea ratione, qua genus de specie prædicatur. Itaq; potest Orator de omni re quæ in causam inciderit, disputare. Fab.lib. 3. cap. 5. In Orat. ad Brutum. & De Orat. 3. Fab. lib. 3. cap. 5. In Topic. & Partit.

De generibus causarum.

CAP. V.

Causa Philosophis est aut efficiens, aut finis, aut materia, aut forma; nobis est quæstio finita Oratori ad dicendum proposita; quæ aut demonstratiua, aut deliberatiua, aut iudicialis est. Quæ tria genera causarũ Aristoteles ex triplici auditorum genere constituit. Nam qui audit, aut delectationis tãtum gratia adhibetur, dicitúrque θεωρὸς; *aut disceptationis, cuius nomen est* κριτὴς. *Res verò, de qua agitur, aut præterita est, aut futura: qui de præterita statuit, iudex est, Græcè* δικαστὴς; *qui de futura, senatus,* ἐκκλησιαστὴς. *Ita ex triplici auditorum genere tria constant genera causarum, videlicet exornatiuum, in quo sola delectatio petitur; deliberatiuum, in quo de futura re consulitur; iudiciale, in quo de præterita re iudicatur. Cicero quoque Aristotelem sequutus Auditorum, inquit, genere causa distinguitur. Nam aut auscultator est modò qui audit, aut disceptator, id est, rei sententiæq;* Lib. 1. cap. 3. In Partit.

sententiaq; moderator, ita vt delectetur, aut statuat aliquid. Statuit autem aut de præteritis, vt iudex; aut de futuris, vt senatus. Sic tria genera sunt, iudicij, de-
Lib.3. cap.4. liberationis, exornationis. Vnde Fabius, Qui defendunt tria esse genera causarum, tria faciunt genera auditorum: vnum, quod ad delectationem conueniat; alterum, quod consilium accipiat; tertium, quod de
Lib.1. cap.3. causis iudicet. Insuper Aristoteles vnicuiq; generi proprium tempus assignat, deliberatiuo futurum, quoniã est de prouisione posteri temporis, iudiciali præteritum,
Lib.3. cap.4. demonstratiuo maximè præsens. Et Fabius, Omnia, de quibus dicendum est, aut certa sunt, inquit, aut dubia: certa, vt cuique animus est, vel laudantur, vel vituperantur; dubia partim ad deliberandum nobis libera sunt, partim aliorum sententiæ commissa, de quibus lite contenditur. Prima illa in demonstrationem, altera in deliberationem, tertia in iudicium cadunt. Præterea omne Oratoris officium aut in iudiciis est, & genus est iudiciale, aut extra iudicia; atque ea vel futurum habent tempus, de quibus deliberatur, vel præteritum. Præterita aut laudamus, aut vituperamus. In quo ab Aristotele varius est, qui demonstratiuo generi non præteritum, sed præsens tempus assignat. Verùm Quinctilianus facta, Aristoteles vel præsentes personas, vel rationem inspexit, qua res gestæ tractantur. Ea verò
De Orat.2. ad tempus præsens accommodatur. At Antonius apud Ciceronem laudatiuum genus, quod facile esset, & aliis generibus admixtum, ex horum numero exemit: & nonnulli, quorum dux Plinius esse creditur, infinita propè genera effecerunt, consolari, obiurgare, narrare, gratias agere, gratulari, commendare, ac plurima alia, quæ nec humiliora, nec exiliora, quàm exornatio esset, arbitrarentur. Sed Antonius dissimulator artis est,

est; & Victorinus isthæc officia in priuatis causis, & per epistolas tractari existimat. attamen in publicis causis etiam versantur. Quidam ad hæc tria genera causarum conantur illa reducere: sed multa omittunt, ac multa, quæ vni generi subiiciunt, in aliud quoq; genus transferri possunt. Tutius autem est sequi præstantissimorum virorum sententiam, qui solùm tria genera causarum instituunt: cetera autem species (vt Fabius sentit) in hæc tria genera incidunt. Nec ex his vlla inuenitur, in qua laudare aut vituperare, suadere aut dissuadere, intendere quid, vel depellere non debeamus. Illa quoque sunt communia, cōciliare, docere, narrare, augere, minuere, concitandis componendisq; affectibus animos audientium fingere. Quamobrem quæ præter hæc tria genera ab aliis fiunt, vel omnibus communia sunt, vel ad hæc tria capita reuocantur. Iā si fortè quis roget, cur secundo libro quinque genera causarum esse diximus, honestum, humile, dubium, admirabile, obscurum, nunc tria facimus demonstratiuum, deliberatiuum, iudiciale; respondebit Victorinus eandem rem variis qualitatibus affici posse: vel intelligat genera illic qualitates, hîc formas significare, quæ singulas causas complectuntur. Nam certum est genus sæpè formæ significationem habere. Melius autem formæ causarum quàm partes dicuntur; quoniam nomē totius partibus non datur; at generis formis datur. Deliberatio autem & demonstratio, ac iudicium causæ vocantur. Quod si Fabius quandoq; partes appellat, mirum non est, cùm alioquin eruditi viri soleant interdum negligentius loqui; nimirum quando ex arte non loquuntur. Et Aristoteles non causarum vocat, sed genera rhetorices; quoniam singula quinq; illis partibus rhetorices inuētione, dispositione, elocutione, memoria, actione constant.

In 1. De Inuent. Cicer.

Lib. 3. cap. 4.

Lib. 1.

Lib. 1. cap. 3

De cuiusque generis fine. CAP. VI.

SEd cuiusq; fines demonstrandi sunt. Sanè in omni genere causarum duplex est Oratori propositus finis; fides, inquam, & motus: qui in singulis varij sunt. Nam, vt de fide prius loquamur, iudicij finis est (vt ait Cicero) ius, ex quo etiam nomen; deliberandi vtilitas, laudationis honestas. Quæ prius Aristoteles scripsit his verbis: Tribus generibus tres sunt fines, deliberatiuo quidem vtile & inutile, iudiciali iustum & iniustum, demonstratiuo honestum & turpe. Sed eos Fabius celeri magis ac rotunda vsos distributione censet, quàm vera. Stant enim, inquit, quodammodo mutuis auxiliis omnia. Nam & in laude iustitia vtilitásque tractantur; & in consiliis honestas; & rarò iudicialem inueneris causam, in cuius non parte aliqua eorũ quid, quæ suprà diximus, reperiatur. Verùm contra Fabium dicet Aristoteles, Cùm in consiliis iustitia, iniustitia, honestas, turpitudo tractantur, ea non vt propria, sed extrinsecus ad deliberatiuas causas adiungi: sic etiam in aliis generibus quæ præter æquitatem & honestatem adhibentur, foris assumi. Quare vnus est in quoque genere princeps finis, ad quem cuncta reducuntur. An non in deliberando Orator ea, quæ suadet, non tam iusta aut honesta, quàm vtilia esse probat? & vt fateatur non satis æqua, nunquam tamen inutilia esse fatebitur. Quid? in demonstrando nonne multa licet inutiliter facta sint, tamen, quia honesta sunt, laudamus? nisi fortè quod Achilles se mortis periculo pro familiarissimo Patroclo obiecerit, periculosum factum non sit. quod tamen, quia honestum, laudatur. Et in iudiciis reus nonne æquitate potissimè se tuetur? Concedet Orestes matris cædem inutilem, & si velit accusator, turpem, nunquam

In Topic. & Partit.

Lib. 1. cap. 3.

Lib. 3. cap. 4.

quam tamen iniquam esse concedet. Igitur in vnoquoque genere vnum est vltimum, quo reliqua referuntur: & pro rei natura suus cuique finis praescribitur: & cuiusque rei qualitas aut ad honestatem, aut ad vtilitatem, aut ad aequitatem expenditur. Honestas vi sua nitet, vtilitas in bonis inspicitur, aequitas refertur ad aliud. Honestas, quia ipsamet virtus est, per se laudatur, de vtili deliberatur, de aequitate iudicium fit. Honestas ad demonstrationem, vtilitas ad deliberationem, aequitas ad iudicium attinet. Prima in foro, altera in senatu, tertia in iudicio tractatur. Sunt praeterea fines alij, qui ad motum pertinent, distincti inter se ipsi. Nam in exornatione delectationem, in suasione aut spem aut reformidationem, in iudicio aut saeuitiam aut clemētiam iudicis mouemus. Ad quos fines vtpotè victoria authores omnis collocandi ratio accommodanda est.

De genere demonstratiuo. CAP. VII.

NUnc cuiusque rationem explicemus: ac primùm demonstratiui, quod aliis generibus admiscetur, & omnibus facilitate ac dignitate antecellit. Nam ferè ad progymnasmata & declamantium exercitationes accedit: & cùm in laudatione virtutum ac vitiorum reprehensione versetur, non minus ad bene viuendum, quàm ad bene dicendum valet. Itaque Cicero, Genus, inquit, nullum est, quod aut vberius ad dicendum, aut vtilius ciuitatibus esse possit, aut in quo magis Orator in vitiorum virtutumq́ cognitione versetur. In Partit. *Nec tamen Aristoteles à deliberatiuo temerè exorsus est; quod sanctissimum, & ciuitatibus vtilissimum esse putauit;* Lib. 1. cap. 4. *demonstratiuum verò ab omni negocio seiunxit. At qui iudiciale prius explicarunt, ij genus, quod in frequentiori vsu esset, quodq́ plus negocij haberet, prius attigerunt,*

gerunt, vt omni se difficultate prius expedirent. Et demonstratiuum genus nonnulli laudatiuum & exornatiuum vocant, Graeci modò ἐπιδεικτικὸν, modò ἐγκωμιαστικόν. Laudatiuum quidem à meliore parte: quoniam decentius est laudare, quàm conuitiari. Hoc ipsum ἐγκωμιαστικὸν significat, & exornatiuum. Vnde Cicero, exornatio, quia in laudationes maximè confertur, proprium habet iam ex ea nomen. Illud verò ἐπιδεικτικὸν aliqui putant à Latino verbo demonstratiuo exprimi: sed Graecum maioris est significātiae. Nam ἐπιδεικνύειν ostentare magis, quàm demonstrare significat: & ἐπιδεικτικὸν genus non intra laudatiuum solùm coërcetur. Nam orationes Panegyricae, quae in conuentu totius Graeciae habebantur, licet essent ad ostentationem comparatae, tamen suadendi formam etiam prae se ferebant; nimirum in quibus de Graeciae vtilitatibus agebatur. Habent ergo alia quoque genera ostentationem. quia verò eloquentia nullo in genere vires suas magis, quàm in exornatione ostentat, omnis propè ostentatio in hoc genus collata est. quare dictum est ostentatiuum. Nec malè dicemus demonstratiuum à Latino verbo deriuari; quoniam qui laudatur, aut reprehenditur, hoc genere qualis sit demonstratur. Definitur autem hoc genus à quibusdam id esse, quod in certae personae laudem, vel vituperium adhibetur. Atqui non solùm in personam, sed etiam in animantia bruta, & res anima carentes (vt Aristoteles sentit, & Fabius) confertur. Verùm illos id, quod potius est, & frequentius fit, obseruasse existimo: & ex hoc genere, cuius propriū est res amplificare & ornare, cùm varium & multiplex sit, id maximè delegisse, quod in proborum hominum laudes & vituperationem improborum valet. Omitto quòd quae in laudandis personis eadem fermè in aliis rebus authore

Fab. lib. 3. cap. 4. Cic. In Partit. In Partit. De Inuent. 1. Ad Heren. 3. Lib. 1. cap. 9. Lib. 3. cap. 7.

authore Aristotele via ratioq́; tenetur. Iam demonstratiuum genus vel ab omni negocio remotum est, vel etiam negociis insertum. Quod remotum est, solam audientium delectationem petit, atque ad ostentationem, vnde nomẽ obtinuit, comparatur. Quod verò negociis insertum est, poscit tum à consiliis, tùm à iudiciis adiumenta, quia non est ad solam voluptatem auditorum relegatum. Prius illud genus nihil habet dubij; sed certa omnia. itaque sine vllis argumentationibus conficitur. Non enim illic dubia firmantur, sed ea, quæ certa, aut pro certis posita sunt, augentur. Habet tamen interim (vt Fabius monet) probationis & defensionis speciem aliquam: vt, qui Romulum Martis filium atque educatum à lupa dicat apud veteres Romanos, is enarret quemadmodum in profluentem abiectus sit, ac diuinitus seruatus; quodq́; omnia sic egerit, vt incredibile non sit prognatum esse è Marte. Quæ ita dicet, non vt ea probare, aut defendere tanquam dubia velit, sed amplificare, & aliqua probationis specie, si quid dubij cuiusque animo insit, eximere. Alterum genus Quinctiliani sententia probationem desiderat. Nunc quia demonstratiui generis officia duo sunt, laudare & vituperare: videndum est quæ laudanda, quæ contrà vituperanda sint. Laudanda sunt, quæ sunt cum virtute coniuncta; & quæ cum vitiis, vituperanda. Honesti formæ quatuor sunt; nam honestum idem est, quod virtus; Prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia. Prudentia est rerum bonarum malarúmque scientia. Quæ in gubernatione Reip. versatur, dicitur ciuilis, Græcè πολιτική; quæ in domus administratione, οἰκονομική; at ἠθική ea est, quæ proprios cuiusque mores & vitam instituit. Aliæ honesti partes actione cernuntur. Actio autem omnis aut priuata, aut communis est.

Lib. 1. cap. 9. Fab. lib. 3. cap. 7. | In Partit. | Lib. 3. cap. 7. | Ibid. | Offic. 1.

Nam commoda quæ absunt non expetere, & ab his se voluptatibus abstinere, quæ præsentes sunt, temperantiæ ac continentiæ munus est. Sed malis venientibus obstare, & tolerare præsentia, fortitudinis est ac patientiæ. quarum mater est animi magnitudo: cuius partes duæ, liberalitas in distribuēda pecunia, altitudo animi in ferendis, capiendisque incommodis. At in communi posita actio iustitia nominatur: quæ erga Deum est religio, erga parentes pietas, creditis in rebus fides, in moderatione animaduertendi lenitas, in beneuolentia amicitia. Ac porrò virtutum omnium caput & parens est, prudentia, quæ vna quid agendum, quid non agendum sit præcipit. Comparatur autem doctrina simul & longo rerum vsu atque experientia. Et quanquam bona triplicia sunt, fortunæ, corporis, & animi; tamen animi semper est vera laus. Neque enim bona, quæ extra nos posita sunt, & hominibus fortuito contingunt, ideò laudantur (vt Fabij verbis vtar) quòd habuerit quis ea, sed quod his honestè sit vsus. Et bona corporis certissimum quoque faciunt morum experimentum. Nam aut meliores propter hæc, aut peiores euadimus. Virtus sola per se ipsa laudabilis est: sine qua nihil rectè laudari potest. Itaque cetera naturæ & fortunæ bona (vt ait Cicero) quamuis non habeant in se veram laudem, quæ deberi virtuti vni putatur, tamen etiam tractanda sunt, cùm in eorum vsu ac moderatione virtus ipsa conspicitur. Habemus laudationis, vituperationisq; materiam: quæ quo pacto per partes orationis disponenda sit, edicendum est. Primùm exordia in hoc genere Aristoteles maximè libera esse existimat; quia vti & non vti principio possumus, quoniam causa per se honesta est; principio inquam eo, quo audientium gra-

Lib. 3. cap. 7 · De Orat. 2. · Lib. 3. cap. 14

tia petitur. Quinetiam fas est longè à materia duci: quale est illud Isocratis, quo Oratores defendit. Nihil enim habet cum laudibus Helenæ commune. Verùm vt is, qui canere instituit, præludia legitimo sono, etiam si non cohærent, tamen iungit: ita principia demonstrationis Orator, quamuis longè à materia ducat, tamen cum materia connectit. Docet hic Aristoteles demon- Lib. 3. cap. 14 *stratiua principia vel à laude & vituperatione duci, vel à suasione & dissuasione (nã quæ laudãtur suaderi possunt, et quæ suadentur, cadẽ etiã laudantur) vel à persona auditorum, vel à re, si ardua, si admirabilis, si vulgatissima fuerit. Tũ quia genus hoc nullã probationem requirit, sine vllis argumentationibus, tantum narrandis exponendisq; factis conficitur, vt in audientium animis magis motus quidã lenis, quàm fides fiat.* Narrandi autem præcepta, & augendi ex propriis locis sumentur. *Factorum collocatio Ciceroni triplex est.* Nam In Partit. *aut temporum seruantur gradus, aut generum distributiones, aut inprimis recentissimũ quodq; dicitur. Atque ætatus quidem gradus sequi alias speciosius fuit, inquit Fabius, vt in primis annis laudaretur indoles, tũ* Lib. 3. cap. 7. *disciplinæ, post hæc operum, id est, factorũ, dictorumq; contextus. Quem ordinem Cicero contra Antoniũ se-* Philipp. 2. *cutus est. Primùm igitur natales considerabis, quemadmodum quisque generatus sit; tum pueritiam, vbi de ingenio & educatione dicetur; mox adolescentiam, quo nimirum pacto institutus moratusq; sit; præterea ætatem virilem; postremò, quæ plurimùm consilio prodest, senectutem, vbi res publicè & priuatim gesta exornabuntur. At tẽpus, quod finẽ hominis insequitur, nõ semper (vt ait Fabius) narrare contingit. Raro enim acci-* Lib. 3. cap. 7. *dit, vt referri possint diuini honores, & decreta, vt publicæ statuæ constituãtur. Si quid tamẽ (inquit Cicero)* In Partit.

animaduertendum erit, aut in ipso genere mortis, aut in his rebus, quæ post mortem erunt consequutæ, mors eorum, quorum vita laudabitur, silentio præteriri non debebit. Alter exornationis ordo multa & varia facta in proprias virtutum species & formas dirigit, singulisque assignat, quæ secundum quemque earum gesta sunt. Sic Cicero totam orationem, qua Gn. Pompeium laudabat, in fortitudinem, peritiam rei militaris, authoritatem, & felicitatem partitus est. Tertius ordo recentissimum quodque factum exornat. & quia in hoc genere auditoris delectationi studetur, Cicero nos docet à minoribus ad maiora ascendere, aut à maioribus ad minora dilabi, aut hæc inæquabili varietate distinguere, ac parua magnis, simplicia coniunctis, obscura dilucidis, læta tristibus, incredibilia probabilibus intexere. Harum collocationum quæ sit utilior cum materia secundùm Fabium deliberabimus: dum sciamus gratiora esse audientibus ea, quæ quis aut solus, aut primus, aut certè cum paucis fecisse dicitur. si quid præterea supra spem, aut expectationem; præsertimque quòd aliena potius causa, quàm sua. Vbique autem sunt ad voluptatem, & exornationem adhibenda illa rerum ornamenta, siue quæ admirabilia nec opinata, siue significata monstris, prodigiis, & oraculis, siue quæ videbuntur ei, de quo agimus, vel antequam nasceretur, vel in vita, vel post mortem accidisse diuina atque fatalia. Nam omnis expectatio eius, qui audit, & admiratio, & improuisi exitus habent aliquam in audiendo voluptatem. In vniuersum eligendæ res sunt aut magnitudine præstabiles, aut nouitate primæ, aut genere ipso singulares. Est etiam cum ceteris præstātibus viris comparatio in laudatione præclara. Genus autem hoc totum, vt Fabius censet,

[Margin notes: Pro lege Manilia. — In Partit. — Lib. 5. cap. 7. Arist. lib. 1. Cicer. De Orat. 2. — Lib. 3. cap. 7.]

censet, qualitate maximè continetur. quanquam omnes tres status cadere in hoc opus possunt: iisq́; vsum C. Cæsarem in vituperando Catone notauit Cicero. In Topic. *Relinquitur peroratio: cuius partes duæ, enumeratio, & amplificatio: sed enumeratio nonnunquam laudatori necessaria; amplificatio autem omnis delectationem quæret. in qua hi loci tractandi sunt, qui mouere possunt expectationem, admirationem, voluptatem. Genus autem dicendi erit suaue, come, elegans, & iucundum, verbis numerisq́; liberius; quod solum est ad delectationem aurium comparatum. Non enim auditor is est (inquit Cicero) qui vereatur, ne fides sua orationis insidiis attentetur: quin immò gratiam habebit Oratori voluptati aurium seruienti.* In Orat ad Brutum.

De genere deliberatiuo. CAP. VIII.

Genus deliberatiuũ, quod res quasi trutina rationis examinat, à dãdo cõsilio, à Græcis dicitur συμβουλευτικὸν, & ab habenda & conuocanda concione δημηγορικὸν, à nonnullis Latinorum concionale: habetq́; positam in disceptatione suasionem & dissuasionem. Unde à potiori parte suasorium quoque dictum est. Nam qui consulunt atque deliberant, vel suadent vel dissuadent. & dissuadere is dicitur, qui aliud quàm suasum est prius suadet: alioquin vulgo in expetendis suasio, in fugiendis dissuasio vocatur. Omnis autem suasio est in prouisione posteri temporis; ac propriè dicitur consultatio: sed quærit etiam de præterito (vt vult Fabius) cùm præteritarum rerum qualitatem inquirit. Ad hoc Fabio vel priuata suasio est, vel publica. Verùm Aristoteles hoc genus totum in Reip. administratione posuit: ex quo δημηγορικὸν appellauit. Quin etiam Cicero in hac maximè parte versatur Cic. In Partit. Lib. 3. cap. 8. Lib. 1. cap. 4. De Orat. 2.

Nihilominus ex iisdem praeceptis manat omnis suadendi ratio tam in priuata causa, quàm in publica: tamen in priuata causa minus, quàm in publica, laborandum est. Nam priuatus vtilitati suae studet, populus autem & senatus saepè vtilitatem suam, velut ij, qui aegritudine affecti sunt, non considerant. Finis deliberatiui generis vtilitas est. Nam ratione ad faciendum aliquid adducimur: ipsum autem bonum, cuius gratia aliquid facimus, idem nobis, quod vtile est. Neq; enim si deliberatio inter sapientes fiat, honestas ab vtilitate seiungetur: apud vulgus si velis seiungere, magis vtilitatis, quàm honesti rationem habebis. Siquidem frustra honestum apud rudes suadeas, nisi spe vtilitatis allicias. Quoniam igitur deliberationis finis est vtilitas, primum caput suadentis erit, vt ostendat vtile seu bonum esse: tum quia non de omnibus rebus bonis, malisue est deliberatio; nam de his, quae neque fieri, neque aliter esse possunt, non deliberatur; videndum id, quod consultatur, fieri ne possit, ita, inquam, vt in nostra manu & arbitrio positũ id sit. ceteroquin fortunae & naturae bona, quia in nostra potestate non sunt, negat Aristoteles in deliberationem venire. Lib. 1. cap. 4. *Duo igitur suasionis capita sunt, alterum vtile ne sit, alterum fieri ne possit, quod Graeci δυνατὸν, Fabius licet durum vocabulum, tamen quia solum esset, possibile nuncupauit.* Lib. 3. cap. 8. *Quibus duabus suasionis partibus idem Fabius honestatem addit:* Ibid. *sed nos eam cum vtilitate coniunximus. Addunt nonnulli necessarium: cui Fabius nullũ in suasione locum esse ait,* Ibid. *quoniam si necessitudinem voces, vt Cicero, simplicem, cui nulla vi resisti possit, sic nulla est in deliberando necessitas; cùm deliberatio de faciendo sit, vbi de voluntate, non de necessitudine agitur: sin necessitatẽ voces, in quã metu grauiorum homines coguntur, quam* De Inuent. 1.

Cicero

Cicero necessitudinem cum adiunctione appellat, vt necesse est Cassilinenses in Annibalis potestatem venire, ni velint fame perire, tunc Fabio est quæstio vtilitatis. Itaque necessarium idem est quod maximè vtile. Posse tamen post constitutam causam ab his, qui consulũt, in deliberationem afferri necessitatem, quæ mutari non possit, ne Fabius quidem negat: sed mox tollitur omnis deliberatio. Unde Cicero, Inciditur, inquit, omnis deliberatio, si necessitas affertur: quam qui attulit aliis non videntibus, is plurimum vidit. & alio loco: Si quid est necesse, tollitur deliberatio. Nonnulli deliberationis partes plures fecerũt, iucũdũ, pium, iustum, æquum, mãsuetum, siue ἥμερον, & eiusdem generis alia: quæ omnia referuntur ad vtilitatẽ cum honestate coniunctam. Nam quod Aristoteli videtur ob iucunditatem solam sæpè fieri consultationem, Fabius absurdũ iudicat. Semper enim aliquid putat præcedere, ne sola tantùm voluptas quæri videatur: vt in ludis instituẽdis honor deorum præcedit; in ædificando theatro non inutilis laborũ remissio, deformis & incõmoda turba, si id nõ sit, cõflictatio. Addiderũt aliqui facile & sine periculo, quod quidẽ facultati subiicitur. Nã quod difficile, idẽ sæpè ἀδύνατον est: ac rei labor multã in deliberãdo dubitationẽ affert. At verò suasori (nã deliberationis capita sunt vtilitas & facultas) vtrũq; probãdũ est, & vtile esse, & fieri posse: dissuasori satis est alterũ infirmare, vt si vtile nõ est, ne fiat; si fieri nõ potest, ne suscipiatur. Quare prius de vtilitate, tũ de facultate dicetur. Vtilitas in discernẽdis bonis malisq; versatur: bona aut animi, aut corporis, aut fortunæ sunt. Horũ quædã necessaria vidẽtur, sine quib⁹ aut nõ esse, aut nõ bene satis esse possumus, vt vita, pudicitia, libertas, parẽtes, & affines; quædã expetẽda vel honestate, vel cõmoditate, vel

Ibid. Ibid. De Orat. 2. In Partit. Ad Alex. Cic. in Part. De Inuent. 2

honestate

honestate & commoditate simul. expetuntur honesta, quæ per se laudabilia sunt, quæ nimirum ex virtutibus proficiscuntur; de quibus in demonstratiuo genere dictum est: commoditate autem expetuntur, quæ in corpore sita sunt, & fortuna, vt vires, forma, valetudo, nobilitas, diuitiæ, & his similia. Commoditate verò simul & honestate, honos, gloria, amicitiæ: quæ cùm vtilia sint, honestati quasi quædam materies subiecta sunt. Ac meo iudicio non tam de bonis vel malis deliberatur, quàm de his, quæ ad hæc, tanquam finem, vel adipiscenda, vel conseruanda, vel fugienda & euitanda pertinent. Facultas autem ad efficientes causas spectat: ac maximè quærit locum, tempus, instrumenta, pecunias, arma, socios, hostes, & ea, quæ vim præstant ad rem quamque efficiendam. & vt ea, quæ pro nobis sunt, sic etiam ea, quæ aduersantur, inspiciemus. In Partit. *Insuper non solùm nostra (vt ait Cicero) fieri posse, sed etiam facilia & iucunda esse ostendemus. Nam eorum, quæ fieri possunt, quædam facilia sunt, quædam* Lib. 1. cap. 6. *difficilia: facilia inquit Aristoteles, quæ vel sine dolore, vel breui tempore fiunt; difficilia verò, quæ dolore & magnitudine temporis definiuntur; quæ perinde habenda sunt sæpè, ac si effici non possint. Quapropter cùm quæritur fieri ne possit, aduertendum etiam est quàm facilè possit. Crescit adhac contentione oratio, cùm quid vtilius, quid facilius quæritur. Atque etiam cum honestate interdum pugnare videtur vtilitas: atque idcirco deliberantium conditio pernoscenda est, quorum opinionibus accommodetur oratio. Hominum* In Partit. *genera Cicero duo tradit, alterum indoctum & agreste, alterum bene institutum atque expolitum: illud quæstum, emolumentum, ac maximè voluptatem sequitur, hoc virtutem & laudem amplectitur: ideóque*

illi fructus, emolumenta, voluptates, euitationésque dolorum ad persuadendum proferri debent; huic honestatis & virtutis genera, præsertim ea, quæ ad societatem hominum tuendam & augendam pertinent: illi etiam non tam qua via bona consequi possit, quàm mala euitare; huic qua ratione & decus expetere, & fugere ignominiam queat. Sed rudes quoque contumelia mouet. Igitur apud imperitos pluris vtilia, quàm honesta; apud peritos pluris honesta, quàm vtilia faciemus. Nec minus refert suadentis persona, quàm deliberantium. Nam genus, ætas, fortuna, anteacta vita, dignitas, & authoritas maiorem fidem faciunt. Et quibusdam authoritas sufficit, quosdam vix ipsa ratio tuetur. Dissuadendi autem ratio ex iisdem suasionis locis sumetur, vt aut vtilitas, aut efficiendi facultas labefactetur. Quare totam deliberationem ad locum causarum refero: quia finis ad vtilitatem, efficientes causæ ad facultatem spectant. Nunc partes orationis requiremus.

Principia vel nulla, vel non longa in sententiis dicendis esse debent. Nam sunt ad audiendum qui deliberant suâ causâ parati. & conciliatus est ei quisque, quem consulit: sed neque docilitate opus est. Nam qui deliberant sciunt qua de re dicendum sit. non abruptè tamen, nec Satyricorum more exordiendum. Nam (vt inquit Fabius) aliquid est in omni materia naturaliter primum: & ne manca videatur oratio, semper aliquid habere debet principij loco. Cùm autem aliquid nostra interest, aut aduersariorum, aut eorum, qui audiunt, ne minor, aut maior æquo res illis videatur, & à nostra, & ab eius qui dissentit, persona, & à rei circumstantiis exordiemur. Id quod Aristoteles putat nos à iudiciali genere mutuari. Verùm in priuatis consiliis

Cic. in Part.

Lib. 3. cap. 8.

Lib. 3. ca. 14.

liis magna cura principij habenda non est; in publicis, fermè vt in iudiciali, fauor audientium captari debet.
Lib.3.cap.16 *Semper tamen in suasoria (vt Fabij verbis vtar) breuiori proœmio vtemur, & veluti quodam capite tantùm, & initio debebimus esse contenti. Narratio in deliberationem (vt ait Aristoteles) non cadit: quoniam narratio (sicut Cicero inquit) præteritarum rerum est, aut*
In Part. *præsentium, suasio autem futurarum. Cur ergo, dicet*
Ibid. *fortè aliquis, Cicero ait, nec multum sanè sæpè narrandum?*
Lib.3.cap.8. *Fabius hoc ita declarat: Priuata deliberatio narrationem eius dumtaxat rei, de qua dicēda sententia est, nunquam exigit; quia nemo ignorat id, de quo consulit: in concionibus sæpe est etiam illa, quæ ordinem rei docet, necessaria. Hanc igitur Cicero narrationem in deliberatione intelligit necessariam, quæ non id de quo decernitur; nam futurum hoc est; sed rei ordinem, de quo statuitur, exponit. Quæ etiam quandoque altius repetitur, vt id, de quo deliberatio est, melius intelligatur: breuis tamen esse præcipitur. Et, si simplex res est, de qua agitur, vno propositionis ambitu contineri poterit. Itaq; deliberatiui generis narratio est rei ordinis expositio, vel propositio, qua suadens ostendit qua mente dicat, quid velit, quibus de rebus dicturus sit; hortaturq; ad se breuiter dicentem audiēdum. Nec me latet esse quasdam narrationes quæ neque rem, neque rei ordinem exponunt, sed ad probandum assumuntur extrinsecus; & perinde atque exempla, vel similia, vel dissimilia ad suadendum, aut dissuadendum valent. quandoquidem ex præteritis futura coniicimus.*
Lib.3. *Istas narrationes Aristoteles deprimi & efferri, minui & amplificari, vt quæq; postulabit, ad concitandos vel leniendos affectus iubet. Probatio in deli-*
Lib.1. *beratione secundum Aristotelem ἠθικὴ, λογικὴ, & πα-*

παθητικὴ

θυτικὴ *esse debet. Prima ad mores dicentis pertinet, qui ad persuadendum maximè apti sunt. Nam consilia pro moribus dantur; & prudentissimum atque optimum oportet eum esse, cuius sententiæ credendum est. Quare Fabius, Valet, inquit, in consiliis authoritas plurimum.* Lib. 3. cap. 8. *Altera continet argumenta, & rationes rei, de qua deliberatur. Quam qui suadet, necesse est & vtilem esse ex fine, & posse fieri ex causis demonstret: qui dissuadet, vel vtilem non esse, vel fieri non posse. Ac sæpe accidit, vt prius dicat, ne si possit quidem fieri, esse faciendum. Tum qui suadet, faciendi modum & rationem significat; contrà improbat qui dissuadet, aut aliam faciendi rationem affert. Ac cùm de vtilitate disputatur, qualitas; cùm de facultate, coniectura tractanda est. Nonnumquam etiam definitio aliqua in deliberando adhibetur, sicut in Philippicis Cicero quid sit tumultus definit. Demum vtrique & suasori & dissuasori exemplorum copia paranda est: quoniam præteritis futura plerunque respondent; & exempla quoddam rei experimentum & testimonium prabent. Tertia ad mores auditorũ, & affectus spectat. Itaque Fabius præcipit vt videamus plures an vnus deliberet,* Ibid. *an Cato, an Scipio, an Senatus, an populus, an Romani, an Græci, an Barbari: tũ cuiusq; mores & animum intueamur, personarúmque circumstantias diligentissimè perscrutemur. Et quæ de duobus hominum generibus paulo antè dicta sunt, in hanc probationis partem omnia transferuntur. Postrema restat orationis pars conclusio, quæ & enumerationem quandoque habet, & amplificationem. Enumeratio secundum Ciceronem* In Partit. *suasori non sæpè necessaria est: amplificatio spem habet, aut reformidationem deliberantis. Si in spem incitandus erit, huiusmodi sententiæ proficient,*

quæ

quæ ad explendas cupiditates, aut ad odium satiandum, aut ad vlciscendas iniurias faciunt: sin autem reformidatione deterrendus, de incerto statu fortunæ, dubiisq; euentis rerum futurarum, ac retinendis suis fortunis, si secundæ, sin aduersæ, de periculo commonebitur. Quare ad cohortandum bonorum ac malorum enumerationes, & exempla proderunt. Genus autem orationis in hoc causarum genere Theophrastus præceptoris sui Aristotelis sententiam sequutus ab omni (vt ita loquar) affectatione remotum vult; Cicero etiam simplex, & graue, ac sensis ornatius, quàm verbis. Siquidem verborum magnificentia ad ostentationem in demonstratiuo affectatur: hic nulla verborum ostentatio quæritur, sed sententiarum grauitas; quæ potiorem fidem facit deliberantibus, & maiorem suadentibus affert authoritatem. Nihilominus (vt Fabius sentit) pro suadentis, & rei, qua de agitur, conditione dicendi ratio conformanda est, vt probabile genus orationis teneatur. Itaque dicendi genus sequemur non nimium comptum & expolitum, sed in quo authoritas & pondus in verbis insit, & sententiæ sint graues & opinionibus hominum ac moribus accommodatæ.

Lib. 3. cap. 8.

De genere iudiciali. CAP. IX.

TErtium causarum genus, quod in iudiciis versetur, à Latinis iudiciale vocatur, à Græcis modò δικανικὸν, hoc est, in iudicio positum; modò δικαστικὸν à iudice, litiumq; diremptore, quem δικαστὴν nominant. Constat autem officiis duobus; accusatione, & defensione: finiturq; id esse, quod positum in iudicio habet in se accusationem & defensionem; aut petitionem & recusationem. eius finis est æquitas, quæ qualitate continetur: quoniam omnia, quæ de iure ciuili, aut de æquo & bono

Arist. lib. 1. cap. 10. Fab. lib. 3. cap 9. De Inuen. 1. Ad Heren. 1. In Partit.

& bono disceptantur, in qualitatis quæstionem cadūt. Tractatur verò qualitas & simpliciter, & comparatè. Comparatè, vt cùm apud centum viros post alia, quæritur & hoc; vter dignior hæreditate sit: & cùm de verissimo accusatore disputatur; quæ diuinatio dicitur. In quibus causis quid æquius, æquissimúmue sit quæritur. Noscenda igitur causa, & causæ status, in quo stet quisque ad pugnandum paratus. Nam in omnibus causis tres sunt gradus; ex quibus vnus aliquis capiendus est, si capi plures non possunt ad resistendum. Nam aut negatur factum, aut id esse quod aduersarius criminatur, aut tale esse. In primo coniectura, in altero definitio, in tertio qualitas valet. de quibus altero libro egimus. Accusator si personam arguat facti, & voluisse, & potuisse, & fecisse ostendet à causis & effectis. Vtilitas ad voluntatem, efficientes causæ ad facultatem; locus ab effectis ad arguendum factum pertinet. Contrà defensor vel causam faciendi nullam dicet fuisse, vel facti signa vera, aut verisimilia esse negabit. Si de nomine facti, & vi disputetur, vterque in explicando & excutiendo verbo ad consuetudinem sermonis & iudicis sensum proprius accedere conabitur. Quod si de facti qualitate contentio sit, accusator non iure factum ex æquitatis locis ostendet; contrà defensor iure factum ex iisdem æquitatis locis asseret, aut assumpta extranea re factum confirmabit. Vltimum remedium est, cùm neque factum, neque facti nomen negare, nec iure factum probare potest defensor, vt ius actionis inspiciat. Quod vltimò in cogitationem venit, sed ante iudicium, vel in ipso iudicio tractatur. Quam rem, cùm de translatione egimus, docuimus. Quoniam verò ad probandam æquitatem lege

 firmius

firmius haberi nihil potest, lex adiutrix in controuersiis, & quasi testis adhibenda est. Cuius quaestiones, quae legitimae vocantur, etiam superiori libro exposita
Lib.3. cap.9. *sunt. Nunc orationis partes exponamus: quas Fabius quinque esse contendit, quoniam refutationem à confirmatione seiungit ab Aristotele, & Cicerone dissentiens. Sed quid Fabius, quid ceteri sentirent, proximo libro ostendimus, & refutationem ac confirmationem ad probationem, quam Graeci πίστιν vocant, retulimus. Et facilior hic erit orationis partium explicatio: siquidem in hoc genus quae altero libro scripta sunt cadunt ferè omnia. De quo authores idcirco plura & diligentius scripserunt, quoniam nullum genus hoc esset aut difficilius, aut frequentius ab Oratore tractatum.*

Principia accusatori sumenda sunt ad acerbitatem suspiciosa: quibus & beneuolentiam captet auditorum, & ab his alienum faciat aduersarium; iudicisq́ animum reo infensum reddat, & ad saeuitiam moueat, atque ad attentionem excitet, & insidiarum commune periculum denuntiet. Contra reo principia sumenda sunt ad misericordiam & beneuolentiam iudicum: quam modicè colliget conflati criminis, collectarumq́ suspicionum querelam, & accusatoris insidias, & commune periculum proferendo. Etenim alteri saeuitia, al-
In Partit. *teri clementia proposita est. Quemadmodum autem à re, & à persona principia ducantur altero libro ex-*
Ad Herr. *posuimus. Narratio accusatoris praeterquam quòd breuis esse debet, & dilucida, & probabilis, semina debet habere argumentorum, & suspiciones interiectas, obscuratas etiam defensiones, vt sit membratim gesti negocij argumentosa & suspiciosa explicatio. At reus, si pro se tota est, totam debet narrationem explicare,*

si tota

si tota molesta, relinquere, aut ea quæ lædunt amputare, ita vt vel obscuret, vel prætereat argumenta suspicionum; dumtaxat rerum euentus causasq́; pronuntiet. Adhibendi etiam vtrique sunt affectus, quos antè docuimus. Deinde accusator in probando rerum ordinem persequetur, atque argumenta singula in manu collocata habens proponet vehementer, concludet acriter, tabulis, decretis, testimoniis confirmabit; accuratiusq́; in singulis immorabitur. Verùm reo probationes accusatoris, & argumenta aut per se diluenda, aut obscuranda, aut digressionibus obruenda sunt. Tum confirmandis suis argumentationibus, infirmandisque contrariis sæpè erunt accusatori motus animorum incitandi, contra reo mitigandi. Quid verò vtrique sequendum sit, vel in coniectura, vel in definitione, vel in qualitate, vel etiam in legalibus quæstionibus aliàs dictum est. Nec vllum porrò genus est, quod probatione inartificiali, hoc est, præiudiciis, rumore, tormentis, tabulis, iureiurando, & testibus sæpius, quàm hoc vtatur: immò Aristoteles inartificialem probationem iudicialium causarum propriam arbitratur. Dantur etiam vtrique in iudiciis egressiones quædam, & communes loci, vel ad laudandum & vituperandum, vel ad beneuolentiam & inuidiam, vel ad sæuitiam & clementiam, vel ad excitandos & commouendos affectus. Quos locos & paratos semper habere debet Orator, & illis, cùm offertur occasio, vti accommodatè. Superest peroratio: cuius enumeratione reo rarius opus est, quia ponenda sunt contraria, quorum dissolutio (vt ait Cicero) in breuitate latebit: sed ab aduersario frequentata argumenta, & in vnum cogregata, vt aculei pungent. Explicabit aduersarius enumerationem cũ pon-

In Partit. | Lib. 1. cap. 15 | In Partit.

dere, excitabit sententiis, variabit figuris, addubitando si quid se fugerit, quid responsurus sit aduersarius quam spem habeat; interrogando quid demonstratum non sit, vt ad quędam etiam ipse respondeat; irridendo quę nunc ipse faceret, si hęc, atque hęc, non illa demonstrasset; ac sua cum aduersarij conferendo, neque tantum sententias, sed studia, mores, & artes; denique inuidia premendo si quam partem causę reliquerit, aut ad preces confugerit. Reus verò, si planè causam redarguendo explicarit, enumeratione, vt quidq; diluerit, vti potuerit. Amplificatione vterque vtetur: verùm accusator ad incitandos animos, & in sęuitiam adducendos; reus ad leniendos, atque ad misericordiam totam orationem conferet. Proprius hic accusatoris locus, malorum misereri non oportere, dum auget peccati atrocitatem: rei verò, miseris & oppressis esse succurrendum, dum accusatorem calumniari criminatur. At genus orationis in iudicialibus causis vnum & idem esse non potest. Nam rebus accommodanda oratio est. Itaque si de re priuata ad vnum iudicem dicet Orator, non elato, sed gracili & submisso genere; sin de grauioribus rebus, non tenui, sed amplo & copioso; de mediocribus verò rebus mediocri dicet. Neque solùm pro causa tota facies eloquentię variatur, verùm etiam pro partibus causę. Nam aliter conciliatur in eadem oratione, aliter docetur, aliter mouetur auditor. Docemus enim submisse, delectamus mediocriter, mouemus grauiter. In partibus etiam orationis mutatur orationis color. Nam principia (vt Cicero pręcipit) verecunda esse debent, non elatis intensa verbis, sed acuta sententiis vel ad offensionē aduersarij, vel ad cōmendationē sui. Narrationes

Fab. lib. xij, cap. x.

In Orat.

credibiles

credibiles, nec historico, sed propè quotidiano sermone explicatæ. In confirmando & refellendo filum orationis ad quamque causam aptum vel subtile, vel mediocre, vel graue tenebit. Cùm verò regere & flectere animos volet, sese latius effundet. Præterea non omnis locus, tempus, auditor eodem genere verborum & sententiarum tractandus est: & aliæ res plus ad mouendum, quàm ad probandum; contrà aliæ plus ad probandum, quàm ad mouendum valent: sed & immutatis verbis sæpè eiusdem rei vis immutatur. Verùm hæc ad decorum pertinent: quod quia non potest arte comprehendi, totum Oratoris prudentiæ ac sapientiæ committitur. Tradita sunt præcepta componendæ orationis breuiter, vt opinor, & apertè; quæ & mandanda memoriæ, & agenda postremò est, sed de memoria & actione alij; nos instituti nostri rationi satis fecisse putamus.

FINIS.

ANTVERPIAE

EXCVDEBAT CHRISTOPHO-
RVS PLANTINVS, ARCHI-
TYPOGRAPHVS REGIVS,
ANNO CIↃ. IↃ. LXXXI.
MENSE MAIO.